AB
40 15/i,8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0001-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0002-7

# CANTICA SELECTA VETERIS NOVIQVE TESTAMENTI:

A. 166.

CVM HYMNIS ET COLLECTIS, SEV ORATIONIBVS PVrioribus, quæ in Orthodoxa atque Catholica Eccleſia cantari ſolent. Addita diſpoſitione & familiari expoſitione

Chriſtophori Corneri.



LIPSIAE,
CVM PRIVILEGIO.

SIEGEL DES KOENIGL: GYMNASII IN EISLEBEN

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0003-3

Universitäts u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0004-8

# ILLVSTRISSIMO ET INCLYTO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOACHIMO

Marchioni Brandeburgenſi, ſacri Romani Imperij Archicamerario & Electori, Stetinenſium, Pomeraniæ, Caſſuborum, Vandalorum & Croſnæ in Sileſia Duci, Burggrauio Norimbergenſi Rugiæq; Principi, Domino ſuo clementiſsimo,

Gratiam & pacem à Deo per CHRISTVM precatur.

INTER MVLTAS GRAVES ET SALVtares admonitiones & præceptiones, quibus Paulus Dei miniſter auditores ſuos erudit, inſtruit, & ad pia ſtudia accendit, non ſunt illæ poſtremo loco ponendæ, quibus idem Coloſſenſibus diuini & cœleſtis ſermonis curam ſedulamque tractationem fideliter commendat, cum capite tertio ſcribit: Sermo Chriſti inhabitet in vobis opulenter cum omni ſapientia: doceteque & commonete vos inuicem pſalmis & hymnis & cantilenis ſpiritualibus cum gratia canentes in corde veſtro Domino. Intelligit enim diuinus doctor non eſſe vllum maius bonum, neque theſaurum precioſiorem a Deo Eccleſiæ datum, & tanquam ſingulare depoſitum

 ipſius

ipſius fidei commiſſum, quam ſermonem Chriſti: qui præter multa alia commoda, hæc vel præcipua illis, in quorum congreſſibus doctrinæ eius vox incorrupta ſonat, adfert, vt inde & veram Dei Chriſtique Saluatoris cognitionem aſſequantur, & qui ſint cultus, quæ inuocatio quæ debeatur Deo noſtro diſcant, & in omni adflictione rebuſque aduerſis certas atque firmas conſolationes habeant, & regula omnium conſiliorum & actionum voluntati Dei congruentium ſint inſtructi. Has vtilitates Eſaias Propheta ſapientiſsimus intelligens, & quam triſtes tenebræ, quantaque confuſio opinionum, cultuum & morum verbi Dei amiſsionem ſequi ſoleat præuidens, ingenti motu animi precatur a Deo, vt liget teſtimonium & obſignet legem in diſcipulis ſuis, quod eſt, vt ipſe regat & doceat eos ſpiritu ſuo, vt verbum ipſum, & natiuam eius ſententiam perpetuo retineant & conſeruent, cum illud ſola humana diligentia conſeruari minime poſſit. Dauidi quoque regi ſumma hæc eſt conſolatio, ſummaque delectatio, quod nouit ſe verbum Dei habere lucernam pedum & lumen ſemitum ſuarum. Iccirco idem ille & beatos prædicat illos, qui ambulant in lege Domini, deque ea meditantur die & nocte, & ardentibus affectibus orat: doce me Domine viam ſtatutorum tuorum: inclina cor meum ad teſtimonia tua.

Ac ſane D. Paulus fideliſsimus Eccleſiarum paſtor, vt præſtet quam Deo debet in ſancta functione obedientiam, in hoc omni ſtudio, cogitatione

gitatione & cura incumbit, vt & ſalutarem verbi doctrinam recte ac ſine corruptelis ipſe tradat explicetque, & eccleſiis ſuis perpetuus ſit hortator, vt illud quauis occaſione cognoſcant excolant, amplectentur, celebrent, inque eo ſolo ad veram felicitatem ſe duci & peruenire poſſe credant. Propterea grauiſſima ad eos commonitione diuinique verbi autoritatem habente vtitur, & vult in ipſis penitus habitare ſermonem Chriſti: tanta aſſiduitate tantoque ſtudio verbum illud ab ipſis tam in publicis congreſſibus, quam in domeſticis Eccleſiis tractari & coli, vt eo nihil ipſis ſit propius, nihil notius, nihil in tota domo familiarius, nihil denique precioſius atque carius: quod verbo ἐνοικεῖν non obſcure ſignificari videtur. Addit deinde πλουσίως. Non enim vult illud obiter tantum attingi, aut primis quaſi labris deguſtari, ſed plena manu ab omnibus pro cuiuſque ætate & conditione teneri tractarique: ita vt miniſtri & boni patresfamilias conciones ſacras enarrent: matresfamilias a liberis & tota familia dictata auditaque exigant: ſubinde capita doctrinæ Chriſtianæ, quæ in Catechiſmo comprehenſa ſunt, repetant: adoleſcentes vero & puellæ lectionibus ſacris, cognitione ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum exerceantur, & omnes hoc vno agant ſtudio, communique opera & in hoc toti verſentur, vt ille Chriſti ſermo inter ipſos ſolos, qui Eccleſiæ Dei membra haberi dicique volunt, effloreſcat & redundet: ac recte quidem. Certum eſt enim cogitationem & lectionem

doctrinæ ſanctæ non tantum probari Deo, ſed ipſum quoque in eorum pectoribus habitare, præſentem & efficacem eſſe, quorum tantæ & & tam ſalutaris rei verum eſt & ardens ſtudium, & qui ſe illo recte conſolantur, erigunt & pio motu nomen Domini inuocant, vt ipſe ait: Si quis diligit me &c. Non ignoramus quoque homini Chriſtiano meliora arma vix dari poſſe aduerſus omnes diaboli machinationes, vim atque inſidias, quam ſedulam meditationem verbi, inque ea diuinitus accenſas precationes.

OMNE autem hoc ſtudium tractationiſque diligentiam non vult Paulus temere ſineque ratione inſtitui: iubet ordinem doctrinæ conſiderari, & ſingula membra ſcite riteque diſcerni, ignauiam vitari, veritatis amorem & ſophiſtices odium adeſſe, cognitis & perſpectis doctrinæ fontibus recte ſecari omnia, ideo prudenter addit, ἐν πάσῃ σοφίᾳ: Quis namque credat in hominibus ocioſis, ignauis & indoctis, qui vel legunt vel canunt ſacra ſine intellectu & arte hunc ſermonem ineſſe? Quis credat iis, qui præcipua eius capita, cuius generis eſſent exempli cauſa, lex & promiſſio gratiæ, cultus diuinitus mandati & ſuperſtitiones ab hominibus excogitatæ vel confundunt, vel non erudite exponunt, hunc ſermonem magnæ curæ eſſe? Qui fieri poteſt, vt ii, qui curioſas tantum & non neceſſarias diſputationes mouent, pernicioſas opiniones ſerunt, meris præſtigiis ludunt & veritatis lucem tanquam offuſis tenebris hæreſium obſcurare ſtudent, ſapienter & cum fructu ſcri-

pturæ

pturæ dogmata legere, cognoſcere & enarrare? Non eſt ergo ſatis eſſe hunc Chriſti ſermonem nobis notum & familiarem: ſed eſt ille quoque prudenter tractandus: eſt reuerenter & religioſe de eo diſſerendum: eſt & caſta puraque mente ad hæc Dei oracula ſanctam & immutabilem ipſius voluntatem nobis aperientia accedendum. Quod vt commode recteque fiat etiam doctrinarum & linguarum adminicula non ſunt penitus abiicienda.

Adiungit quoque Paulus alios modos & rationes pie & ſapienter excolendi & retinendi uerbi, διδασκαλίαν nimirum & νουθέτησιν: ſerio exoptat vt inter nos ſit mutua eruditio & inſtitutio: ut ſermones noſtros ad vtilitatem & ædificationem Eccleſiæ componamus accommodemusque: ſint frequentes & amicæ admonitiones de Dei beneficiis, de præcipuis doctrinæ capitibus, de ſtudiis, exercitiis & actionibus Chriſtiano nomine dignis. Ne autem hoc ſemper eodem ſeueri ſermonis & moleſto præceptionum genere fiat, excogitauit ſapiens antiquitas pſalmos, hymnos & ᾠδὰς πνευματικὰς: quas etiam noſtra ætate componendis nouis quidam non infeliciter imitantur. Compoſitæ ſunt & Eccleſiæ propoſitæ multæ piæ, doctæ & ſalutares cantiones, quæ vel docent omnem ætatem de iis quæ facienda, fugiendaque ſunt: vel Dei noſtri omnipotentiam, ęternitatem, ſapientiam, infinitam maieſtatem, gloriam & honorem extollunt, vel immenſa ipſius filiique eius vnigeniti beneficia & facta bonitatis clementiæque

eius illuſtria teſtimonia, celebrant: his diſcendis & canendis exercendi & oblectandi ſunt homines pii, vt ipſorum quoque ſermo hilaritate multa & pia ſuauitate conditus mentes de diuinis rebus facilius inſtituat, Dei encomia canat & ſanctis exercitiis eas a prauis, prophanis, abſurdis, impuris, obſcœnis, vanis & impiis cogitationibus, colloquiis & inſtitutis auertat. Recitentur autem illæ & canantur ἐν χάριτι, ſingulari quadam cum dexteritate & grata vtilitate: canantur non lingua oreque tantum, ſed intenta mente & veris cordis affectibus: dirigantur quoque & reſpiciant ad vnum ſaltem ſcopum Chriſtum, eiuſque nomini, ſanctitati, bonitati & maximis operibus commemorandis, laudandis & exornandis ſeruiant. Huius generis ſunt quoque multa inſignia cantica veteris & noui teſtamenti, multi hymni & pſalmi, multæque precationes, quæ partim ſoluta, partim numeris adſtricta oratione cum dulci Muſica in templis noſtris, in publicis congreſſibus, & domi noſtræ inter diurnos nocturnoſque labores nunc latino, nunc vernaculo ſermone recitantur & canuntur. Quæ nobis magno ſunt argumento verbum Dei etiam nunc in noſtris Eccleſiis viuere & habitare, eaſque multis aliis hac felicitatis parte non parum præſtare: qua beatitudine vt diu fruamur atque lætemur conſiderandum eſt primum diuinitus mandari docendi & diſcendi ſtudium, requiri admonitiones mutuas, poſtulari pias & ex verbo Dei compoſitas cantilenas. Poſtea flectendæ ſunt mentes &

tes & voluntates noſtræ eo, vt Dei voluntati morem geramus honeſtis & rectis ſtudiis nos tradamus, cum his veram inuocationem coniungentes, oremus aſſiduis votis & gemitibus, vt benignus pater nobis perpetuo adſit, doceat nos, regat & gubernet nos, ne ex hac beatitudine excidamus, ipſique ſemper grata dicamus & agamus. Vt vero hæc religioſæ pietatis ſtudia ego quoque pro virili mea iuuarem, non dubitaui ante quadriennium diſpoſitionis & familiaris expoſitionis notationes in Pſalmos Dauidis edere. Ac cum audirem hanc enarrationis operam probari multis, & eſſe qui expetant, vt cantica quædam ſelecta veteris & noui teſtamenti cum purioribus hymnis & precationibus, quæ pſalterio Doctoris Georgii Maioris adiuncta ſunt pari ratione explicarem & ornarem, ſumpſi ea quoque ſucciſiuis horis in manus, & meis auditoribus οἰκονομίαν eorum monſtraui, breues annotationes addidi & quæ ſubobſcura videbantur aliis reddidi verbis: ſperoque me qualicunque opera hoc eſſe aſſecutum vt hos hymnos adoleſcentes poſthac libentius & maiori cum fructu legant & canant.

Decrevi autem & ſtatui Illuſtriſſime Princeps Elector, Domine Clementiſſime hos meos labores in communem Eccleſiæ Dei vſum & vtilitatem, quamuis in ſpeciem tenues a me ſuſceptos & mediocri iam ſtudio abſolutos ad veſtram Celſitudinem mittere, ipſi dedicare, & ſub ampliſſimi nominis eius tutela cum honorifica hac compellatione in publicum dare.

Non enim ignoro Veſtram Celſitudinem pias veteris Eccleſiæ lectiones atque cantiones in hæc vſque tempora ſingulari Dei bonitate & gratia nobis conſeruatas non tantum maximi facere, ſed illis quoque mirum in modum non ſine internis & vere ſpiritualibus motibus delectari: ex ipſis in maximis difficultatibus & tentationibus conſolationes valde ſalutares ſæpe haurire: & ſic denique iudicare, earum ſedulas tractationes recitationeſque noſtris quoque temporibus omnis generis & ætatis hominibus apprime neceſſarias eſſe. Videt enim & ſapienter ſtatuit V. Celſ. non ſolum ſcripturæ ſacræ puritatem, ſed [illegible]iam id genus cantionum, hymnorum & pſalmorum ex verbo Dei compoſitorum in Eccleſiis & religioſis piorum congreſſibus perpetuo retineri ſonareque debere: hoc vt in Marchiæ præcipuis Eccleſiis aſſidue & diligenter fiat ipſa ſerio requirit & præcipit: & recte quidem. Vult namque Deus noſter etiam cantionibus & celebrari, & a nobis fidei noſtræ confeſſionem atque teſtimonia edi: Vult omnino nos in ſinceris & Chriſtianum nomen mirifice ornantibus pſalmis & odis exerceri, & quidem propterea, vt quod ſupra de Pauli doctrina dictum eſt, ſermo Chriſti abundanter & copioſe inter nos habitet.

LIBENTER quoque veſtræ Excelſitatis iudicio & ſententiæ aſſentior, qua etiam publico ſcripto teſtatum facit ipſa, & eſſe & ſe agnoſcere multiplices harum cantionum in Eccleſia Dei vſus. In illis enim cum de præcipuis doctrinæ

& fidei

& fidei Chriſtianæ capitibus agatur, & quidem certis ſtatisque totius anni pulcherrimo ordine temporib. fieri non poteſt, quin earum frequenti recitatione vſurpationeque de dogmatibus purioribus erudiamur & inter nos ea ſana, recta & integra retineamus.

ACCEDIT & hoc quod V. Celſ. ſæpenumero experiatur illis fidem noſtram non parum confirmari: illis inſtructos de multis controuerſiis rectiſsime iudicare & peſtilentiſſimos errores tuto vitare, ſanam denique doctrinam a falſa, commenticia & hypocritica diſcernere poſſe: vt recte dicamus ſacrarum cantionum beneficio nos conſequi, vt in noſtris cœtibus honor rectæ religionis & cultuum verorum colatur, ſit & floreat.

POSTREMO ad hoc faciendum me quoque compulit laudatiſſima illa & omnibus ætatibus celebranda confeſſio, quam Veſtra Celſ. de gratuita iuſtificatione hominis, de cœna Domini, de Trinitate, de incarnatione filii Dei, de admiranda vnione duarum naturarum in Chriſto, deque ſummis eius beneficiis nuper in ampliſſimo 12. Calend. Auguſti indicto conuentu & conſeſſu Illuſtriſſimorum Principum Ioachimi Friderici Nepotis Adminiſtratoris Magdeburgenſis, Ioannis Georgii filii illuſtrium Comitum, totius Marchiæ & aulæ procerum & præcipuorum verbi Dei miniſtrorum magno animi motu ardentique ſpiritu edidit. Tunc ſane cum de grauiſſimo negotio deliberationes habendæ & ſententiæ ferendæ eſſent, cœpit V.

Celſ. pulcherrima occaſione prolixa & graui oratione de illis fidei noſtræ capitibus præfari & propalam profiteri, ſe vere credere nos ſola Dei miſericordia propter Chriſtum in verbo promiſſa, quæ ſola fide accipiatur, excluſa omni noſtrorum operum qualiumcunque dignitate coram Deo iuſtificari, gratos & acceptos Deo eſſe donari remiſſione peccatorum & vita æterna: in cœna Dominica vbicunque illa celebretur vere & ſubſtantialiter adeſſe, dari & ſumi corpus & ſanguinem Saluatoris noſtri IESV CHRISTI: ſe quoque Deum vnum in eſſentia & trinum in perſonis iuxta patefactionem verbi & ſymbolorum trium doctrinam agnoſcere & inuocare: addidit ſe credere, quod propter nos homines filius Dei de cœlo deſcenderit, factus ſit homo, in ſua perſona admirabilem & angelis Dei ſtupendam vnionem duarum naturarum diuinæ & humanæ fecerit inque ea inſeparabili Deus & homo redemtionis noſtræ opus perfecerit, & nunc ad dexteram Dei patris ſedens omnia impleat verus mediator ſuæ adſit Eccleſiæ, eam ſeruet & ſaluet, donec reuerſus ipſam ſecum in æterna ducat tabernacula. De his cum plura quam ego in hac præfationis breuitate commemorare vel poſſim, vel debeam, locutus eſſet, admonuit quoque & vere paterno animo miniſtros verbi omnes rogauit vt hanc doctrinam ſingulari Dei benignitate Germaniæ donatam diſcerent, amplecterentur, docerent & ſolam profiterentur, & quicquid cum ea pugnaret execrarentnr & fugerent. Hæc tam pia



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0014-4

& Chriſtiano Principe digna confeſſio tantam in pleriſque mentibus excitauit admirationem vt omnes miniſtri Dei inciperent ordine primum benigniſſimo Deo agere gratias, quod tanta euangelicæ cognitionis luce Veſtram Celſ. donarit, ipſumque ſubmiſſe orare vt eam in hac fidei rectitudine & conſtantia ad finem vſque vitæ conſeruaret: addiderunt quoque ſinguli ſe Veſtræ Excelſitatis confeſſioni in omnibus aſſentiri, neque vnquam gratia Dei commiſſuros eſſe, vt ab ea vel docendo vel confitendo diſceſſiſſe dicerentur. Ego quoque tunc promiſi me huius confeſſionis in hoc opuſculo quod in manibus haberem annuente Veſtra Celſ. mentionem eſſe facturum: ac nunc ſto promiſſis, confidoque hanc nuncupationem V. Celſ. non minus gratam & acceptam fore, quam Pſalterii mei Sigiſmundo filio & Euangeliorum Ioachimo Friderico Nepoti editio fuerit.

Cupio quoque V. Celſitudinem ex id genus ſcriptis cognoſcere in quibus ſtudiis hæc Academia præcipue verſetur, quæ ſit Eccleſiæ & Scholæ confeſſio. Hoc enim per annos iam vigintiocto, quibus in hac Academia literas humanitatis & ſacras docui, pro mea virili egi docendi ſcribendique opera, vt iuuentuti noſtræ prodeſſem & promouendo honoris atque cultus diuini ſtudio pio rectoque huic gymnaſio vtilitati & ornamento eſſem. Propterea reuerenter & ſubmiſſe rogo vt Celſitudo V. meam hanc operam benigniter accipiat, me cuius laboribus hactenus præmia non reſponderunt nunc in

ætatis

ætatis meæ vltimo actu benigniter ſibi commendatum habeat. Vt quoque Celſ. V. benignißimus Deus nobis diu incolumem pacato & florente Marchicæ Eccleſiæ atque politiæ ſtatu conſeruet toto oro pectore, Francoforti cis Viadrum feriis Bartholomæi, anno recuperatæ ſalutis M. D. LXVIII.

*Chriſtophorus Cornerus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0016-5

# CANTICVM MOSE, EXODI CAP. XV.

## *Tunc cecinit Moſes & filij Iſraël hoc carmen Domino & dixerunt.*

*Carmen eſt εὐχαριστικὸν, in quo pro glorioſa liberatione aguntur Deo ſeruatori gratiæ, & immenſum ipſius beneficium mirifice celebratur.*

*Occaſio. Hæc nota eſt ex capite 14. Exodi. Cum Iſraëliticum populum Deus per Moſen ex Ægypto eduxiſſet, & iam ad mare rubrum eſſet peruentum, Iſraëlitas vero Pharao ingenti exercitu perſequeretur, ſtupenda ratione ipſos liberauit. Moſis enim manu effecit, vt recederet mare, exiccaretur & diuiſum vtrinque inſtar muri ſtaret: quo factum eſt, vt ſicco pede tranſirent Iſraëlitæ: cum vero Ægyptij illud quoque ingreſſi eſſent, reuerſæ ſunt aquæ ad alueum ſuum & Ægyptij ad vnum omnes perierunt. Vt igitur aliquod grati animi teſtimonium ederent, hoc carmen autore Moſe Deo Iſraëlitæ cecinerunt.*

*Loci communes ſunt. De miranda Eccleſiæ liberatione. Eſt enim hæc liberatio imago & teſtimonium, Eccleſiam malis oppreſſam Deo curæ eſſe. De præſentia Dei in Eccleſia. De iuſticia Dei in puniendis Eccleſiæ hoſtibus. De gratiarum actione.*

*Vſus. Excitemur hoc exemplo ad credendum Deo, expectandam ab ipſo liberationem, & agendas gratias pro beneficijs acceptis.*

CAntabo DOMINO: quoniam fecit rem glo riosam:

*Exorditur a propoſitione euchariſtica: & lo-*

rioſam: equum & ſeſſorem eius præcipitauit in mare.

*quitur Moſes ſuo & populi nomine: grato animo laudabo & celebrabo Dominum.*

*Ætiologia ab honeſto ex facti eius præſtantia. Quia rem geſſit magnam: & ſuam in eo præſentiam, fortitudinem atque gloriam monſtrauit.*

*Accedit rationis confirmatio ex narratiuncula facti: quia in mari rubro equitatum hoſtium perdidit ſuum defendens populum.*

Fortitudo mea & laus mea DOMINVS: & factus eſt mihi in ſalutem.

*Amplificat gloriam eius, ab honeſto ex efficiente cauſa: quia per Dominum vnico: laudem victoriæ abtineo: ipſique eam laudem & ſalutem meam acceptam fero. Pſal. 118. Iudic. 5. 1. Reg. 2.*

Hic eſt Deus meus, quem celebrabo: Deus patris mei & exaltabo eum.

*Repetit propoſitionem cum rationibus. Laudabo eum: quia ipſum verum Deum agnoſco, & is eſt qui ad me iuuandum & defendendum accurrit: quem etiam pater meus agnouit & coluit.*

DOMINVS eſt heroicus bellator: DOMINVS eſt nomen eius: currus Pharaonis & exercitum eius proiecit in mare.

*Laudat eum a fortitudine militari, quia bellicoſus: a nomine eſſentiæ diuinæ: quia Iehoua. Repetit factum vt ſignum diuinæ omnipotentiæ.*

(a) Electi duces merſi ſunt in mari (b) rubro: abyſſi operuerunt eos: deſcenderunt in profundum ſicut lapides.

*Amplificatio eſt facti, beneficijque eius per expolitionem, & incrementum & comparationem.*

*(a) optimi quiq; eius.*

*(b) caricoſo aut proceloſo.*

Dextera tua DOMINE res gerit magnas: dextera

*Apoſtrophe & amplificatio potentiæ eius per*

tua

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0018-6

tua DOMINE deleuit inimicum.

*per circumſtantiam perſonæ filij Dei, qui eſt dextera & brachium Domini, Eſai. 53. per hunc omnia magna agit.*

Et magnitudine gloriæ tuæ euertiſti aduerſarios tuos.

*A cauſis, vel efficiente vel finali: potentia, robore & maieſtate ſua egit tanta: vel declarandæ gloriæ ſuæ cauſa.*

Cum enim iræ tuæ habenas effunderes, abſumſiſti eos tanquam ſtipulas.

*A ſigno potentiæ, aut effectu iræ effuſæ, per anthropopathiam, cum metaphorica locutione & imagine.*

*Quia ira eius & flamma accenſa abſumpſit hoſtes vt ſtipulas.*

Per ſpiritum faciei tuæ congregatæ ſunt aquæ: & vndarum fluctus ſteterunt inſtar cumuli: coagulatæ ſunt abyſſi in medio maris.

*A modo miraculoſo liberationis. Quia vento vehementi iuxta hiſtoriam collegit aquas maris & quaſi conglobatas accumulauit & inſtar muri erexit.*

*Sed hic ſpiritus vere fuit ſpiritus DOMINI, ſpiritus oris eius. Notetur teſtimonium trinitatis Dominus Iehoua, dextera filius & ſpiritus ſanctus: cooperantur enim in miraculis.*

Dixit hoſtis: perſequar, deprehendam, diuidam ſpolia, & explebo in eis vindictæ cupiditatem.

*Mimeticos repetit deliberationem, conſilium & decretum hoſtis Pharaonis: vt inde magnitudo periculi in quo fuerunt Iſraelitæ & beneficij Dei perſpiciatur.*

Stringam gladium meum vagina vacuum: & perdet eos manus mea.

*Incremento quoque ſex gradibus hoſtile decretum pingitur: perſequar omnibus copijs, aſſequar, necatis ipſis prædam auferam: eſt ab vtili, vlciſcar me & explebo deſiderium, eſt cauſa impulſiua.*

*ſtrictis gladijs petam & perdam : eſt modus & finis.*

Flauiſti anhelitu tuo, & operuit eos mare: demerſi ſunt tanquam plumbum in aquis potentibus.

*A contrario euentu, qui non reſpondit conſilio hoſtili: a ſigno omnipotentiæ & facilitatis liberationis: quia ſolo anhelitu ſuo perdidit eos, quid faciat robore lacertorum aut manu?*

DOMINE quis eſt ſimilis tibi in diis? quis eſt ſicut tu magnificus, ſanctus, terribilis, laude dignus, & faciens miracula?

*Exclamans laudat Deum per contentionem: quia vero Deo nemo eſt ſimilis, ne inter reliquos deos quidem ſiue angelos, ſiue gubernatores politicos, ſiue idola gentium. Laudat vero eum ab attributis & proprijs Dei.*

*Hæc ipſi partim natura, partim effectu, partim ex merito & debito tribuuntur.*

Cum extenderes dexteram tuam deuorauit eos terra.

*Aliud eſt ſignum potentiæ & roboris Dei, ex cauſa efficiente & effectu: non aqua tantum ſed etiam terra abſorpſit eos tua virtute per hyperbolen.*

Duxiſti per miſericordiam tuam hunc populum, quem (c) redemiſti: deduxiſti eos per fortitudinem tuam ad habitationem tuam ſanctam.

*Laudat eum ab beneficio liberationis & eductionis ex Ægypto: addit cauſam impulſiuam miſericordiam qua motus fuit. Prædicit quoque vt Propheta, quod populum ſuum hunc ſit in terram Chanaan, ad montem Sion in quo poſtea ipſi templum eſt extractum ducturus.*

*(c) liberaſti, eripuiſti ex ſeruitute Ægyptiaca.*

Cum hoc audirent populi, conſternati ſunt: & pauor oppreſſit incolas palæſtinæ.

*Ab ijs, quæ ſtupenda miracula ſunt conſecuta, vt ſunt fama, conſternatio, pauor, terror, tremor & animorum abiectio.*

Tunc conterriti ſunt duces Edom: & potentes Moab tremuerunt: animo fracti ſunt incolæ Chanaã.

*Hæc quoque narrãtur Ioſuæ 2. & 5. Augentur quoque hæc ex perſonarum circumſtantijs, per diſtributionem.*

Irruat in eos tremor & pauor per brachium tuum magnum: obſtupeſcant tanquam conuerſi in lapides: donec perrumpat populus tuus DOMINE: donec perrumpat populus tuus, quem poſſediſti.

*Precatio eſt, Orat vt Deus populis illis per quos Iſraëlitæ ſint ituri, & qui eis hoſtiliter reſiſtent, adimat animum, incutiat terrorem, & ſtuporem inducat ne quicquam contra eos valeant. Sic orat quoque vt Deus tueatur Eccleſiam ſuam, ne hoſtes ipſi noceant & euertatur.*

*Repetitio eſt & vis eſt in verbo perrumpat, & emphaſis in poſſediſti, quia tua ſunt hæreditas: ſunt ergo rationes ab vtili & honeſto.*

Introduc eos: & (d) planta eos in monte hæreditatis tuæ, quem tu DOMINE vt eſſet (e) domicilium præparaſti: & quem manus tuæ ſtabiliuerunt tanquam locum ſanctuarii tui.

*Orat vt ducat populum in terram promiſſam & eum in locum vbi ſuam Eccleſiam ſit habiturus. Ratio a fine honeſto, vt ibi ſint membra Eccleſiæ, vbi curaturus ſit ſibi extruendum templum, in quo vere colatur.*

*(d) ſuauis metaphora vt ſint quaſi plantulæ Eccleſiæ.*

*(e) quia in eo loco fixam ſedem eſt habiturus, ibique futurus propitius.*

DOMINVS in omni æternitate regnabit. Ingreſſus eſt enim equitatus Pharaonis cum curribus atque equitibus ſuis in

*Peroratio eſt. Quare extollendus eſt laudibus Deus noſter. Ratio. Quia æternus rex, & regni eius non eſt finis.*

*Altera ratio ex repe-*

mare: & DOMINVS reduxit ſuper eos aquas maris.

At filii Iſraël ſicco pede ambularunt per medium maris.

*titione beneficij, quod hic celebratur: quia perdidit hoſtes Eccleſiæ: Iſraelem vero ſeruauit, Sic deletis impijs ſemper Deus tuetur & ſeruat Eccleſiam ſuam.*

# CANTICVM MOSE,

## DEVTERO. XXXII.

*Locutus eſt ergo Moſes audiente vniuerſa multitudine Iſraël verba carminis huius integre.*

*Carmen hoc Moſaicum eſt Categoricum. In eo enim reprehendit & accuſat ingratitudinem populi Iſraelitici erga Deum: ſed vt accuſatio ſit firmior & populo ingratitudinem ob oculos magis ponat, commemorat primum beneficia in hunc populum diuinitus collata, cuiuſmodi ſunt, electio, glorioſa eductio ex Ægypto, miranda defenſio, donatio terræ Chanaan & affluentiæ rerum omnium in ea. Deinde eſt quoque προῤῥητικὸν & ἀπειλητικὸν, quia prædicit & denunciat eis pœnas, quæ idololatriam, contemtum miniſterij & alia ſcelera ſequi ſolent. Poſtremo eſt παραμυθικὸν continens conſolationem Eccleſiæ ad Deum conuerſæ, promiſsionem gratiæ & mitigationis pœnarum. Vſus vero eſt oratione grandi & Tragica non tam ætati Moſis quam negotio conuenientе.*

*Occaſio. Deus prædixit Moyſi mortem præſente Ioſua, & quæ de populo Iſraelitico eſſent futura: Dixit quoque ſe quidem ex pacto populum*

*ducturum*

*ducturum eſſe in terram promiſſam, ſed ipſum magna ingratitudine defecturum a ſe ad Deos alienos, & propterea graues eum manere pœnas. Dedit quoque in mandatis Moyſi vt de his rebus carmen conſcriberet, quod in populo recitaret in teſtimonium futurorum malorum. Cum itaque Moyſes illud abſoluiſſet, coacta tota multitudine in eo cœtu illud recitauit.*

*Loci communes ſunt. De immenſis Dei beneficijs. De ingratitudine populi Iſraelitici. De pœnis idololatriæ. De conſolatione afflictæ & pœnitentiam agentis Eccleſiæ.*

*Theſes. Ingrati diuinitus puniuntur, Conuerſi ad Deum recipiuntur in gratiam, & impetrant mitigationem malorum & liberationem.*

AVdite cœli, ego loquar: audiat terra verba oris mei.

*Exordium grande eſt vt auditores reddat attentos. In arduo negotio per proſopopœiam vocat cœlum & terram teſtes gloriæ Dei, tam propter ipſorum durationem, quam propter beneficia, quæ conferunt in eos, qui mandata Dei ſeruant.*

Stillet ſicut pluuia doctrina mea: fluat vt ros eloquium meum.

Sicut imber ſuper gramen: & ſicut ſtillæ ſuper herbam.

*Optatio eſt, exoptat ſibi orationem doctam, copioſam, ſuauiter fluentem & in auditorum mentibus efficacem. Eſt quoque expolitio pulchris collationibus effectus verbi Dei recte traditi exprimentibus, conſtans.*

Quia nomen DOMINI prædicabo: date gloriam Deo noſtro.

*Ætiologia voti eſt ab honeſto ex argumenti dignitate. Eſt quoque propoſitio: quia vult de Deo noſtro agnoſcendo & celebrando agere: cum exhortatione, vt hoc quoque omnes faciant & dent Deo teſtimonium omnipotentiæ, iuſticiæ, miſericordiæ, &c.*

Ipſe eſt petra : opera eius ſunt integra : & quicquid facit rectum eſt.

*Confirmatio ex laudatione Dei ab attributis. Eſt petra, vel defenſio, vel conſolatio piorum, vel etiam firmus in promiſſis per metaphoram.*

Deus eſt fidelis, & non eſt iniquitas in eo, iuſtus & rectus.

*Laudat ab operum & factorum rectitudine & integritate : in his nihil deſiderari poteſt.* μόνου γε γὰρ θεοῦ τέλεια ἀρετή.

*Congeries habituum rectorum qui ipſi tribuuntur, quia verax, beneficus, iuſtus.*

Generatio peruerſa & praua deficit ab eo : labes & maculæ ſunt non (a) filii eius.

*A contrario, opponit Deo Iſraëlitas prauos qui ab ipſo ſunt defecturi, præuidet futuram confuſionem cultuum & doctrinæ. Ideo adimit eis nomen filiorum, & tribuit eis nomina magis ipſorum moribus & factis congruentia.*

*(a) quia non agnoſcunt Deum patrem.*

Hanc gratiam refers DOMINO, popule (b) ſtulte & inſipiens?

ὀνειδιστικὸν *eſt. Accuſationis & expoſtulationis eſt* πρότασις. *Magna eſt ingratitudo populi erga Deum. Vehementiam reprehenſionis indicant interrogatio & epitheta.*

*(b) quia non vis intelligere quid Deo debeas pro tantis beneficiјs.*

An non ipſe eſt pater tuus & DOMINVS tuus? an non ipſe fecit & parauit te?

*Confirmatio per commemorationem beneficiorum, quibus populum ſuum Deus affecit.*

*Ratio eſt ex honeſto, et relatiuis, agit tecum vt benignus pater, Ergo debes ei gratiam vt filius.*

*Eſt Dominus ratione creationis & ſaluationis, & liberationis quoque ex ſeruitute Ægyptiaca.*

Memento dierum antiquorum : conſidera annos generationum.

Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi : ſeniores tuos & dicent tibi.

*A memoria præteritorum temporum, a fide hiſtoriarum & teſtimonijs maiorum ſequenti narrationi facit fidem.*

*Vſus lectionis hiſtoriarum cognitio beneficiorum Dei.*

*Senes ſunt reuerenter audiendi propter memoriam antiquitatis.*

Cum diuideret altiſſimus gentes, & diſpergeret filios hominum.

Conſtituit (c) terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſraël.

Quia (d) pars DOMINI eſt populus eius : Iacob eſt funiculus hæreditatis eius.

*διήγησις beneficiorum Dei. Primum eſt, electio huius populi præ omnibus in mundo nationibus, & decretum Dei de conſtituenda ſede Eccleſiæ ad Iordanem. A tempore, quia cum diuiderentur gentes poſt Babylonicam confuſionem, Gen. 11. deſtinauit Iſraëlitis terram Chanaan, quam poſtea in duodecim populos ad nomina filiorum Iacob diuiſit. actor. 17.*

*(c) Quia intra certos terminos ſolos Iſraëlitas incluſit.*

*(d) ſolus hic populus eſt Domini hæreditas. Alludit ad morem veterum Geodetarum, qui hæreditates agrorum diuidebant funiculis : eſtque vel metonymia, vel metaphora.*

Inuenit eum in terra deſerta, in vaſta ſolitudine, in qua eſt vlulatus.

Circumduxit eum, & erudiuit, & cuſtodiuit quaſi pupillam oculi ſui. (e).

Sicut aquila excludit pullos

*Secundum beneficium, populum in deſerto errantem deprehendit, circumduxit eum per illud. Exod. 13. in columna nubis & ignis. dedit legem, Exod. 19. 20. & protexit Pſal. 17. Pingitur autem hoc beneficium elegantibus ſimilitudinibus.*

*(e) ſignificat fidelem cuſtodiam.*

pullos ſuos : & eoſdem fouet calore vitali.

*A beneficijs quibus aquila pullos afficit.*

Et expandens pennas ſuas aſſumit eos : & geſtat (*f*) eos ſuper alas ſuas.

*(f) ac docet eos volatum.*

Ita DOMINVS ſolus duxit eum : & non erat cum eo Deus alienus.

*Applicatio ſimilitudinis : Sic Deus ſolus ſuos duxit atque defendit oberrantes in deſerto. Docuit quoque eos beneficijs & cruce ſequi ipſum.*

*Vbi enim vere adeſt Deus, & verbum eius auditur, ibi non datur locus peregrinis dijs.*

Vexit eum vſque ad excelſa terræ, vt comederet fructus agrorum.

Vt ſugeret mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo.

*Tertium beneficium, in loca excelſa & ſublimia terræ Chanaan duxit eos & donauit affluentia rerum omnium ad hanc vitam neceſſariarum iucundarum & vtilium. Atque hæc figurata oratione explicantur.*

Butyrum de armento, & lac de ouibus, Vna cum adipe agnorum.

Et arietes pingues & hircos, quorum renibus pinguedo adhæret : atque triticum, vt biberet ſanguinem vuæ meraciſſimum.

*ἀπαρίθμησις bonorum quibus abundauit Chanaan. Prouentus agrorum varij, mel, oleum, butyrum, lac, pingues agni, arietes & hirci, triticum ſimilago optima, & vinum rubrum optimumq;.*

Impinguatus autem & ſaturatus (*g*) recalcitrauit, impinguatus, incraſſatus & obeſus es.

Et dereliquit Deum factorem ſuum : & negle-

*Redit ad accuſationem. Populus in felici ſucceſſu & abundantia bonorum, cœpit illis abuti, reſiſtere volūtati Dei, deficere a cōditore et defenſore ſuo. Locus communis ex cau-*

xit petram ſalutis ſuæ. *ſis & communiter acci-dentibus. In rebus ſecundis & luxu redduntur homines inſolentiores & ſecuri eſt quoque cauſa accuſationis a iuſto.*

*(g) metaphora ab animalibus bene paſtis.*

Et irritauit eum ad zelum per (h) alienos: per (i) abominationes ad iracundiam eum concitauit.

*Eſt καταγραφὴ veri Dei a proprijs operibus, quia conditor, ſaluator firmaque ſalus.*

*Subiungit ſpeciem idolatriam, & effectus eius, quia offendit Deum.*

*(h) deos.*

*(i) idolatriæ.*

Immolauerunt dæmoniis & non Deo, diis quos non nouerunt, nouis qui ex vicinia venerunt, quos non coluerunt patres veſtri.

*Deſcriptio eſt idolatriæ, quæ eſt neglecto vero Deo, diuinos honores tribuere dæmonijs, dijs, ignotis, nouis & quos pro dijs non habuerunt pij patres.*

Petram quæ te genuit neglexiſti, & oblitus es Dei formatoris tui.

*Repetitio eſt prioris rationis per apoſtrophen, ob rei indignitatem. Quid eſt enim magis impium, quam deſerere patrem & factorem ſuum.*

Hoc cum vidiſſet DOMINVS ad iracundiam concitatus eſt aduerſus filios ſuos & filias ſuas.

*Delictum ſequitur cognitio, hanc animi commotio vel ira, quam excipit comminatio pœnæ & vindicta diuina: cuius hic deſcriptio habetur. Loquitur humano more. Nam Deus veri iraſcitur peccatis etiam filiorum. Eſt quoque πάθος in nominibus filiorum.*

Et dixit: abſcondam faciem meam ab eis: & conſiderabo nouiſſima eorum: ſunt enim gene-

*Irato Deo tribuit orationem comminatoriam. Non reſpiciam ad eos. non ero eis propitius aut dexter, ac cadam eos ca*

ratio peruerſa & infideles filii.

*citate, vt in ea pereant: videbo quid me irato & ceſſante de ipſis ſit futurũ.*

*Ratio eſt a cauſa iræ & pœnæ, quia ſunt filij perfidi.*

Ipſi me prouocauerunt ad zelum per illud, quod non eſt Deus: & irritauerunt me vanitatibus ſuis.

*Ratio ſpecialior, quia idololatria ſua me iratum reddiderunt: hæc eſt, colere id quod non eſt natura Deus: & hæc eſt ſumma vanitas.*

Et ego prouocabo eos ad (k) zelum per eum, qui non eſt populus: & per gentem (l) ſtultam irritabo illos.

*Comminatur illis reiectionem & gentium vocationem. Rom. 10. Iere. 15. Vaticinium obſeruandum.*

*(k) vt incipiant indignari & gentibus nouam felicitatem inuidere.*

*(l) quæ caret ſapientia & cognitione Dei, Ephe. 2. Vixerunt gentes ſine Deo.*

Accenſus eſt enim (m) ignis in ira mea: & ardebit vſque ad (n) infernum inferiorem: deuorabitque terram cum germine ſuo: & fundamenta montium comburet.

*Vide quæ ſit vis iræ Dei accenſæ. Eſt plane tragica comminatio extremæ deuaſtationis & interitus omnium.*

*(m) accenſum eſt vindictæ ſtudium, hoc tanquam igni conſumuntur omnia.*

*(n) hyperbolicum eſt, etiam profunda terræ exuram & reddam ſterilia & omnia funditus euertam.*

Cumulabo ſuper eos mala: & ſagittas meas condam in eis.

*Obruam eos malis nempe pœnæ & omnes ſagittas, id eſt, genera malorum in eos mittam, Metaphoricum eſt.*

Fame contabeſcent & febri conſumentur & a-

*διαμερισμὸς malorum, i. fames cum effectu*

mara peſte: dentes beſtiarum immittam in eos, cum furore ſerpentum.

*tabe, 2. febris, id eſt, morbi ſpecies pro genere. 3. peſtis & lues, amara & ſubito enecans. 4. nociuarum beſtiarum immiſſio. 5. animalia venenata. 6. bello peribunt omnis generis homines. 7. pauores, terrores tam in vrbibus & domibus, quam in conſcientia.*

Foris orbabit eos gladius: intus pauores, iuuenem ſimul & virginem, lactentem cum viro cano.

Dicerem: (o) diſſipabo eos: (p) ceſſare faciam inter homines memoriam eorum.

*Amplificatio a cauſa, quare mitius acturus ſit cum Iſraelitis: ne inimici Eccleſiæ inde reddantur inſolentiores, & nomen eius male audiat.*

*(o) in omnem mundi angulum diſpergam.*

*(p) ita perdam vt eorum nomen in terra deleatur.*

Niſi iram inimici vererer, ne hoc ſibi arrogarent hoſtes eorum, & dicerent, manus noſtra excelſa eſt: non fecit DOMINVS hæc omnia.

*Ignorant gentes cauſam, quare Deus Eccleſiam premat cruce: ideo quod ipſi accidit, ſuæ fortitudini et potentiæ aſſcribunt: hoc ne fiat & Deus ſuam tueatur gloriam, dicit ſe moderatius acturum, vt aliqua Eccleſia ſit ſuperſtes, & inimici eius confundantur.*

Nam populus eſt ſine conſilio, ſine intelligentia: vtinam ſapientes eſſent & hæc intelligerent, & cogitarent de exitu.

*Ratio, quia nolunt regi verbo Dei, quod dat intelligentiam, gubernat conſilia, dicta, facta. Tales ſunt qui in idolomaniam ruunt: cum quadam commiſeratione videtur dicere. Votum eſt Dei optime cupientis populo. Vtinam intelligerent futura mala, cogitarent de fine ſic futurum eſſet vt obedirent verbo Dei & agerent pœnitentiam.*

Quomodo

Quomodo enim (q) vnus perſequeretur (r) mille, & duo fugarent decem millia: niſi petra eorum vendidiſſet eos, & DOMINVS tradidiſſet eos?

*Pingit eorum futuros terrores & conſternationem ſigno & per adynata reddit probabite, cum cauſæ explicatione: quia Deus tradidit eos tanquam vendita mancipia in manus hoſtium. Exemplum Viſum eſt in excidio Ieroſolymitano.*

*(q) hoſtis, miles. (r) Iſraelitas, Iudæos carentes defenſore.*

Quia petra noſtra non eſt petra eorum: cuius rei teſtes ſunt ipſi hoſtes noſtri.

*Confirmat ἀδυνάτῳ per contentionem aut diuerſitatem petrarum, & a teſtimonio hoſtium. Quia fortior & potentior eſt noſter Deus Eccleſiæ, quam Deus gentium ignorantium verum Deum, vt Ægyptij clamant, Exod. 14. fugiamus Iſraelem. Dominus enim pugnat pro eis. vide Nume. 23. 1. Reg. 5.*

Vitis eorum eſt ex vite Sodomorum, & ex agro Gomorræ: vuæ eorum fel ſunt, & botri amari.

*Addit pœnam de potu eorum amaro & lethali: facit ipſos Sodomitarum & Gomorræ agro ſterilitate & calamitatibus pares.*

Vinum eorum eſt venenum Draconum, & fel aſpidum crudelium.

*Exponi poſſunt de moribus prauis, de falſa doctrina & cultibus, eorumque pœnis. Sunt vero coll a tiones admodum tragicæ.*

An non hæc abſcondita ſunt apud me? & obſignata in theſauris meis?

*Occupatio eſt. Ipſi putant me hac ignorare, aut non curare, ſed ſunt apud me repoſita & conſignata, quod ipſi ſuo tempore experientur, quamuis modo non vident.*

Mea eſt vltio: ego retri-

*A facili & iuſto cum*

buam:

buam: nutabit pes eorum ſuo tempore: quia prope eſt dies calamitatis eorum, & futuri euentus eorum feſtinant.

*cōminatione pœnæ: Quia ſolus Deus poteſt eſſe & debet eſſe vindex ac prædicit triſtem eorum caſum non procul abeſſe adeoque approperare. Eſt quoque expolitio.*

Quoniam iudicabit DOMINVS populum ſuum: & propitius erit ſeruis ſuis.

παραμυθητικὸν *eſt: conſolationem addit pro more. Promittit ſuis, id eſt, agentibus pœnitentiam miſericordiam, liberationem & mitigationem pœnæ. Vult enim in ira eſſe memor miſericordiæ.*

Videbit enim quod euanuerit potentia ipſorum: & quod neque cuſtodita, neque neglecta superſint.

*Ratio a cauſa impulſiua: quia mouebitur miſeria & calamitate eorum. Quia videbit eorum vires attenuatas eſſe: & omnia, quæ habuerunt vel in vſu, vel aſſeruata periſſe: & plane nihil latere potuiſſe quod non ſenſerit Dei vindictam.*

Et dicetur: vbi ſunt dii eorum: petra in qua habebant fiduciam?

Qui adipem ſacrificiorum (s) ipſorum comederunt: & biberunt vinum libaminum ipſorum: ſurgant & adiuuent vos, & fiant vobis latibulum?

*Amplificat eorum triſtiſſimas afflictiones per hoſtium ſarcaſmos & irriſiones, quæ* μιμητικῶς *repetuntur: iuuent & ſeruent eos dij ipſorum, quos coluerunt. Agnoſcent ſe vanos Deos coluiſſe & me vnicum eſſe Deum, a quo omnis petenda ſit ſalus. eſtq; locus ab incommodis idolatriæ. Nam dij alieni in rebus aduerſis non ſaluant.*

*(s) eorum qui victimas obtulerunt.*

Videtis ergo quod ego,

*Iterum tribuitur ſer-*

ego inquam ſum Deus, & non eſt Deus mecum: ego occido & viuifico, percutio & ſano: & nemo eſt, qui de manu mea poſſit eruere.

*mo Deo aſſerenti & concludenti ſe ſolum eſſe Deum cum cæteri nihil ſint cum anadiploſi, antitheſi. Probat quoque omnipotentiam ſuam ex actibus diuinis & contrarijs. Notetur diſcrimen veri falſique Dei.*

Leuabo enim manum meam in cœlum & dicam: Viuo ego in æternum.

*Confirmat iureiurando ſe ſolum Deum verum & ſolum eſſe colendum iuxta primum præceptum.*

Si acuero (u) aciem gladii mei & (x) arripuerit manus mea iudicium vindictam exercebo aduerſus hoſtes meos, & inimicis meis rependam.

*Minatur hoſtibus ſuis vindictam & talionem.*

*(u) Synecdoche pro gladio.*

*(x) cœpero facere iudicium & pœnam ſumere.*

Inebriabo (y) ſagittas meas (z) ſanguine: & gladius meus (a) deuorabit carnes: a ſanguine inquam occiſi, & a captiuitate, a capite inimici nudato.

*Minatur reiecto populo cædem, captiuitatem & amiſsionem regni atque ſacerdotij: quæ mala populus ille vere expertus eſt.*

*(y) Metaphorica locutio, magnitudinem cadis ſignificat.*

*(z) Occiſorum Iudæorum, in euerſione Hieroſolomytana.*

*(a) alia metaphora e medio tollet multos.*

Iubilate gentes, quæ eſtis populus eius: quia ſanguinem ſeruorum ſuorum ipſe vlciſcetur.

Et vindictam exercebit aduerſus hoſtes ſuos:

*Peroratio, exhortatur gentes vt lætentur. Ratio, ab honeſto, quia ipſæ in populum Dei recipiuntur.*

*2. Ratio, quia Iudæi idolatræ contemtores Dei reijciuntur: vt Deus vl-*

& pro-

& propitius erit terræ populi ſui.

*ciſcatur ſanctos ſuos Prophetas, Apoſtolos & pios innocēter a Iudæis occiſos.*

*Clauſula gnomica conſolatoria, Deus punit hoſtes ſuos, & miſericordiam exercet erga Eccleſiam ſuam.*

# CANTICVM HANNAE

## I. REG. II

*Et orauit Hanna & ait, id eſt, incepit laudare Deum ipſiq; gratias agere.*

*Canticum eſt Euchariſticum in genere Demonſtratiuo. Agit Deo gratias pro ſingulari beneficio & magnifica eius facta oratione celebrat.*

*Occaſio patet ex 1. cap. 1. Regum vel Samuelis. Hanna vxor Helcanæ erat ſterilis, & contemnebatur atque vexabatur a Peninna altera Elcanæ vxore fœcunda: cum ergo ſerio oraſſet Deum vt ipſam ex hac infamia liberaret impetrauit ab eo filium Samuelem: quem conſecrauit Domino & ad animi ſui gratitudinem declarandam hoc ipſi carmen cecinit.*

*Loci communes. De gratiarumactione. De beneficijs & potentia Dei.*

*Poteſt quoque eſſe allegoria de regno Chriſti & victoria Eccleſiæ.*

EXultat cor meum in DOMINO: cornu meum exaltatur in DOMINO: dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos: quia lætata ſum in ſalute tua.

*προότασις. læta mente gratias ago Deo, ipſumque laudo. Confirmatio. argumentum eſt ab honeſto ex Dei beneficijs, 1. Quia per ipſum nūc gloriam habeo, quæ antea fui contempta: vel per ipſum nunc fortis ſum & vinco, vtrunque enim cornu ſignificat Metaphoricos.*

2. *Ratio ex altero beneficio, quia ab eo habeo materiam canendi, & reſpondendi inimicis meis. Ideo lætor de ſalute, id eſt, beneficio fœcunditatis mihi dato.*

Non eſt ſanctus vt eſt DOMINVS: quia non eſt alius præter te, neque eſt fortis vt Deus noſter.

*Laudat Deum a ſanctitate per contentionem. Eſt ipſe ſanctus natura & effectiue, hoc eſt, miſericors, clemens, iuſtus, bonus, &c. Solus eſt ipſe colendus: reliqua numina nihil ſunt; ſolus eſt potens, & nos in ipſo ſolo fortes ſumus & vincimus.*

Nolite loqui ſuperba: neque egrediatur verbum arrogans de ore veſtro: quia Deus ſcientiarum DOMINVS: & ipſi præparantur opera.

*Aduerſatiua eſt & exhortatur alios ad modeſtiam: monet vt deſinant multa ſuperba effutire: & arroganter de ſe ſentire: vel etiam dura de Deo loqui, quaſi non ſit omnipotens, & non poßit fœcunditatem dare ſterilibus & contra.*

*Ætiologia a Dei facultate, quia ipſe nouit omnia, & ipſe mirabilia facit, & conatus eius non ſunt irriti.*

Arcus fortium confracti ſunt: & debiles accincti ſunt robore.

*Ab euentibus contrarijs & ſignis omnipotentiæ & benignitatis Dei. Inſignis eſt potentiæ Dei deſcriptio: robuſtos armatos vicit, contriuit: infirmos reddidit fortes & victores. Sic victor eſt Chriſtus: ſic Eccleſia per ipſum.*

Saturi cibo coacti ſunt pro pane ſeruire: & famelici ceſſarunt: donec ſterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata eſt.

*Ab alijs euentibus contrarijs: diuites redacti ſunt ad inopiam, adeo vt ſuam operam pro pane locarint: famelici ſunt diuites redditi, quia ceſſarunt fame laborare vel amplius ſeruire. exempla docent hiſtoriæ & vitæ vſus.*

*Tertius euentus, ſterilis donata politecnia: fœcunda ceſſauit parere. exemplo eſt præſens hiſtoria, eſtque beneficium œconomicum.*

DOMI-

DOMINVS mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit.

*Laudat ab actibus diuinis, illiſque contrarijs. Eſt quoque ſynonymia. Poteſt enim ſaluare & perdere quos vult.*

DOMINVS pauperem facit & ditat: humiliat & ſubleuat.

*Alij actus qui ſunt teſtimonia omnipotentiæ & benignitatis et prouidentiæ Dei exemplis illuſtranda.*

*Theſes.*

Suſcitat de (a) puluere egenum: & de (b) ſtercore erigit pauperem.

*1. Liberi dantur a Domino. 2. Mors & vita in manu Dei. 3. Triſticia & conſolatio a Domino. 4. Secundæ & aduerſæ res ab ipſo reguntur. 5. Diuitiæ & paupertas in manu eius. 6. Honores & magiſtratus ab ipſo.*

*(a) infimo gradu. (b) ſordido ſtatu.*

Vt ſedeat cum principibus: & ſolium gloriæ teneat.

DOMINI enim ſunt cardines terræ: & poſuit ſuper eos orbem.

*Ab amplitudine imperij eius: eſt enim Dominus mundi totius, & conditor & coſeruator. Ergo laudandus.*

Pedes ſanctorum ſuorum ſeruabit: ac impii in tenebris conticeſcent: quia non in fortitudine roborabitur vir.

*A prouidentia ſpeciali. Eccleſia eſt Deo curæ. Deus totum vitæ curſum ſanctorum regit & tuetur. Eſt Synecdoche. At impij in cæcitate & ignoratione Dei peribunt. Ætiologia gnomica: Quia non eſt hominis via eius: nemo ſeipſum ſuis viribus ſeruare poteſt.*

Aduerſarii DOMINI conterentur: & ſuper ipſos in cœlis tonabit.

*A contrario, quia impij & hoſtes Domini peribunt, tanget eos e cælo, modus eſt.*

DOMINVS iudicabit fines terræ: & dabit imperium

*Concluſio, quæ eſt prophetia aperta de Meſsia*

perium regi ſuo: exaltabitque cornu CHRISTI ſui.

*Chriſto. Nam ipſe vincet diabolum, peccatum, mundũ, de illis in cœlo triumphabit: is eſt iudex & Dominus omnium conſtitutus: Nam Deus tradet ei omnem poteſtatem, regnum eius ſtabiliet & gloriam honoremque quem ab initio habuit, reſtituet.*

# CANTICVM ESAIAE CAP. XII.

*Euchariſticum eſt & præcedentis longæ concionis epilogus. In hoc grata mente celebrat beneficia per filium Dei humano generi parta & collata. Sunt vero præcipua hæc: quia per illum nobis contigit remiſſio peccatorum, iuſticia gratuita, ſalus, conſolatio, victoria, pax & vita æterna: de quibus omnibus in præcedentibus capitibus concionatus eſt Propheta.*

*Loci communes ſunt. 1. De beneficijs Meſsiæ: quorum ſummum eſt, quod per eum gratis donemur iuſticia & vita æterna.*

*2. De veris cultibus noui teſtamenti, cuiuſmodi ſunt, agnoſcere, inuocare, celebrare Meſsiam & verbum eius.*

*In illa die dices) Cum naſcetur puer ille, & dabitur nobis filius: cum prodibit Surculus de ſtirpe Ieſſe & naſcetur flos de radicibus eius: & tunc Deus ſtabit promiſsis & ſuam plebem viſitabit.*

AGo tibi gratias DOMINE, quod iratus es mihi: & ira tua placata conſolaris me.

*Propoſitio, gratias tibi ago: laudo & celebro te. Ratio ab honeſto ex beneficijs, quibus gratitudo mentis debetur propter iuſticiam & veritatem. 1. Quia per te ira patris propter peccata mea, nunc placata eſt, & pax conſtituta. 2. Quia tu conſolaris me afflictum in terroribus peccati, inferni, ſenſuque iræ Dei.*

*iræ Dei. Erigimur enim voce Euangelij concionante nobis de Deo reconciliato ſatisfactione Mediatoris.*

Ecce Deus eſt ſalus mea, confidam & non timebo: nam fortitudo mea, & carmen meum, & ſalus mea DOMINVS Deus.

*3. Beneficium læto animo & quaſi exultans profert, & fidem ſuam profitetur: quia Deus eſt ſaluator meus, in ipſo ſolo ſum ſaluus & viuo. Iccirco ſum animo forti & confidenti: neque timebo peccatum, neque mortem, neque diabolum, ſed habeo fiduciam accedendi ad thronum gratiæ, Epheſ. 3. 4. Beneficium, quia virtute & bonitate eius ſum fortis & vinco omnia, quæ mihi interitum comminantur mala. 5. Quia per eum habeo canendi & laudandi Dei materiam, cum antea in ſenſu iræ Dei, ſubiratus Deo & deſperabundus ſilerem.*

Haurietis aquas cum gaudio de fontibus ſalutis.

*6. Beneficium, quia per eum læti conſequimur largam gratiam, plenam iuſticiam ex fontibus benignitatis eius emanantem. Eſtque locutio metaphorica.*

Et dicetis in die illa: gratias agite DOMINO, inuocate nomen eius, prædicate in populis facta eius, annunciate quam excelſum ſit nomen eius.

*Piorum eſt alios quoque ſuo exemplo ad pios cultus & ἐυχαριςίαν inuitare: Expolitione opera prioris tabulæ commemorantur vt ſunt gratiarumactio, inuocatio nominis Dei, celebratio factorum eius, quibus Eccleſia ſuam præſentiam & bonitatem patefecit, & annunciatio maieſtatis & gloriæ eius ex beneficijs & magnificis factis agnitæ.*

Pſallite DOMINO, quoniam res maximas geſſit: & hæc innoteſcant in vniuerſa terra.

*Canite Deo laudem: ab honeſto, quia geſta eius maxima, a cauſa finali, vt ea nota fiant omnibus in terra habitantibus.*

Iubila & canta habitatrix Sion : quoniam magnus eſt in medio tui ſanctus Iſraëlis.

*Sunt vero facta eius admiranda. conceptio, natiuitas, obedientia in paſſione, victoria, reſurrectio, aſcenſio, miſſio ſpiritus ſancti, collectio, gubernatio, defenſio, ſanctificatio & donatio beatitudinis Eccleſiæ, & alia miracula innumera.*

*Enthymematib. rhetoricis hortatur Eccleſiam ſanctam ad iubilationem & lætam laudationẽ Dei. Quia Deus noſter, Meßias noſter eſt magnus & potens, ideo poteſt nos beare: & eſt præſens, quia curat Eccleſiam, & ſanctus tam natura quam efficacia.*

## CANTICVM EZECHIAE, ESAIAE XXXVIII.

*Scriptum Ezechiæ Regis Iuda cum ægrotaſſet, & ex morbo ſuo recreatus eſſet.*

*Euchariſticum eſt, continens gratiarumactionem pro reſtituta ſanitate & conſolatione, qua Deus ipſum in ſummis doloribus & conſternatione benigniter erexerat.*

*Occaſio tam ex prima eiuſdem capitis parte, & ex 4. lib. Regum cap. 20. quam ex inſcriptione carminis non poteſt non eſſe nota.*

*Cum enim Ezechiæ per Prophetam eſſet dictum, morieris & non viues, incidit in acerbißimum luctum, & ingenti motu animi ſua delicta deplorauit, Deique miſericordiam implorauit, & ardentibus precibus impetrauit a Domino, vt ei ſanitatem priſtinam reſtitueret, ad priores annos vitæ adhuc quindecim adÿceret; defenſionem ipſi promitteret & hoc miraculoſo ſigno regreſſus ſolis ad 10. lineas vel horas teſtaretur. Suum itaque luctum hic deſcribit, addit quid in*

illo

*illo dolore egerit & qualem conſolationem ſit conſecutus grato animo commemorat.*

Loci communes. *De inuocatione Dei in cruce. De exauditione precum & liberatione. De lucta ſpirituali. De gratitudine Deo debita. Refertur ad præceptum & promiſsionem diuinam. Inuoca me in die tribulationis: & eripiam te, & tu glorificabis me. Pſal. 50.*

Exemplum Ezechiæ. *Cum ægrotans audirem mihi moriendum eſſe, dolui & oraui Dominum: is exaudiuit me: ideo viuus eum celebro.*

EGo dixi in excidio dierum meorum: vadam ad portas ſepulchri: (a) viſitatus ſum de reſiduo annorum meorum.

*Orditur a narratione, & deſcriptione ſummi doloris in quo fuerit propter ſenſum iræ Dei & inſtantem mortem. Præmittit cauſam a neceſſario ſecutæ inuocationis. Eſt vero querela valde pathetica, quam ſoli ij intelligunt, qui ſunt tentati. Occaſio querelæ eſt, cum audirem immaturam mortem inſtare mihi dixi, moriendum eſt mihi: hanc propoſitionem querelæ præ dolore animi vel decies repetit. Sunt enim periphraſticæ locutiones mortis.*

*(a) vel priuatus ſum aut priuabor reſiduo dierum vitæ: abrumpitur curſus vitæ anno ætatis meæ 39. regni 14. his adiecti ſunt anni 15. eſt vero mortuus anno 54.*

Dixi, non videbo DOMINVM, Dominum inquam, in terra viuentium: non intuebor amplius hominem cum habitatoribus orbis.

περίφρασις *ex incommodis conſequentibus mortem: non videbo amplius in vita Domini opera: remouebor ab auditione verbi eius & a cultu eius: vide cauſam doloris in pio rege. Auocor a gubernatione mea politica, ne amplius proſim patriæ, & a dulci hominum ſocietate.*

Generatio mea tranſlata eſt, & captiua a me

*Periodicum tempus vitæ aufertur a me, & abducta,*

abducta, ſicut paſtoris tabernaculum: præcidi ſicut textor dies meos, & ipſe exhauriendo conficiet me.

*vita quaſi captiua a me abducitur. Metaphora eſt cum duplici comparatione. 1. Sicut tabernaculum paſtoris propter tempeſtatem interdum alio transfertur: ſic vita ob vim mali. 2. Sicut textores interdum ex improuiſo filum rumpunt: ſic mors violenta mihi accidit. Notat vim mali ex effectibus.*

*A breuitate vitæ, non ſum diem ſuperuicturus.*

A die vſque ad noctem finem mecum facies.

*Aduentante nocte dixi me tantum ad matutinum vſque tempus victurum eſſe, aut ſane optaui mihi prorogari vitam ad ſolis exortum. Deuter. 28.*

Matutinum deinde tanquam vitæ meæ terminum conſtitui: Sicut leo, ſic contriuit omnia oſſa mea: a die ad noctem vſque, finem mecum facies.

*Alia comparatione vehementiam morbi indicat: magnitudo contritionis quoque oſtenditur. Nam & corporis & animi morbi ipſum inſiſtant. Et ſenſus iræ Dei totum conſumit. Repetit propter pathos breuitatem vitæ: vltra hunc diem non ſum victurus.*

Sicut grus & hirundo ſic garriebam: gemebam ſicut columba: exhauſti ſunt oculi mei in excelſum (ſcilicet ſuſpicientes) vim mihi fecit (ſcilicet morbus & calamitas) reſice me.

*A ſignis ingentis mœroris & doloris, vt ſunt garritus, gemitus, oculi hebetes redditi & ſurſum videntes, vt ſunt moribundorum.*

*In dolore illo & agone non totus ſilet, non deſperat, ſed inuocat Deum corde & ſubmiſſa voce. Propoſitio petitionis. Mitiga malum, da quietem. Ratio a neceſſario: quia opprimor a morbo.*

Quibus verbis (b) vtar? quoniam ipſe reſpondet mihi, & facit (c) etiam.

*Mutantur affectus, redditus eſt hilarior ob impetratã exauditionem.*

Abhor-

Abhorrebo omnibus annis meis ab hac amaritudine animæ meæ.

*Confeßio eſt exauditionis, qua tribuit Deo gloriam.*

*(b) ad Dei benignitatem celebrandam. Quia exaudit me, & confirmat me promißione liberationis & auxilij.*

*(c) hæc aſſeueratio, eſt fidei fructus.*

*Non obliuiſcar huius mali & liberationis, icciroo exhorreſcam eius cogitatione, & in ſumma modeſtia & timore Dei viuam.*

DOMINE propter (d) has viuent, & in omnibus illis vita ſpiritus mei: & pinguefacies me, & viuificabis me.

*(d) conſolationes tui verbi.*

*Laudat conſolationes diuinas ab effectu: hæ enim dant vitam hominibus.*

*A ſuo exemplo: Dicam illis quod ego ex his promißionibus viuam. Quia Deo promittente & dante hominibus vita prorogatur. Quod ipſe ſolus ſanet & viuificet.*

Ecce pro pace amarum mihi amarum: & tu dilexiſti animam meam, ne inciderem in foueam interitus: quoniam proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

*Læta gratiarum actio accedit, propoſitio, Gratias tibi ago. Ratio, a beneficio eius. Contentione primum amplificatur illud: quia propter amiſſam valetudinem erat mihi ſumma amaritudo. Ratio. Quia tu me liberaſti ab interitu. Cauſa impulſiua, dilectio. Quia tu remouiſti cauſam mali, remißione & obliuione peccatorum meorum.*

Quoniam ſepulchrum non confitebitur tibi: nec mors laudabit te: nec expectabunt deſcendentes in foueam veritatem tuam.

*Ab vtili & impoßibili recte factum quod me donaſti vita. Quia mortui te non laudabunt: ſoli viui faciunt, mortui & qui ſunt in ſepulchro Synechdoche.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0041-3

Viuens, viuens ipſe laudabit te, ſicut ego hodie, pater filios de veritate tua erudiet.

*Mortui a te nullam expectant liberationem promiſſam, ſolis viuis reſtat ſpes liberationis.*

*A ſuo exemplo: Ego quoque quia per te viuo, te celebrabo.*

DOMINE ad liberandum me (præſto ſis) tunc carmina noſtra omnibus diebus vitæ noſtræ in domo DOMINI cantabimus.

*Aliud commodum vitæ conſeruatæ: quia pater de Dei beneficijs, de promiſſione gratiæ & vitæ, deque gratitudine inſtituet liberos.*

*Peroratio eſt cum precatione cui adiuncta eſt ὑπόσχεσις gratitudinis & perpetuæ celebrationis in cœtu ſanctorum Dei.*

## CANTICVM HABACVK, CAPITE III.

### *Oratio Habacuk Prophetæ pro ignorantijs, id eſt, pro peccatis & erroribus populi Iſraëlitici.*

*Oratio ad rationem Pſalmorum ſcripta eſt petitoria. Orat ne Deus populum ſuum cum in hoſtium manus peruenerit penitus deſerat: ſed aſſit ipſi & omni benignitate tractet atque tueatur. Refertur ad ἔντευξιν.*

*Occaſio. In prioribus duobus capitibus primum Habacuk prædixit populo Iuda breui fore vt captiuus a Chaldæis abducatur Babylonem. Deinde oſtenſa conſolatione vera in cruce vaticinatus eſt de futuro Meſſia. Poſtremo pœnam minatus eſt tam Eccleſiæ hoſtibus, quam ijs, qui alijs rebus & a vero Deo alienis confidunt. In hoc vero capite addit concluſionis loco*

*hanc orationem quam ipſe habet nomine populi, & petit veniam, mitigationem atque liberationem pœnæ, & ſimul priora capita ſui vaticinij repetit.*

*Loci communes ſunt. De oratione Eccleſiæ etiam contra futuram crucem. De pœnis Eccleſiæ delinquentis. De interitu hoſtium, quibus in caſtigandis ſuis filijs Deus eſt vſus. De Meßia futuro eiuſque officio & beneficijs. Eſt quoque allegoria de ſpirituali liberatione a cruce interna, & damnatione peccati, mortis, iræ Dei.*

DOMINE audiui (†) auditionem tuam & timui: DOMINE opus tuum in medio annorum viuifica: in medio annorum (a) oſtende, & memor ſis in ira miſericordiæ.

*Orditur ab expoſitione occaſionis & cauſæ orandi & ab effectu famæ auditæ.*

*(†) famam aut ſermonem de tua ira, de decreto tuo ad puniendum populum Iuda.*

*Propoſitio, fer auxilium tuæ Eeclesiæ, eamque ſerua. Confirmatio ab honeſto, quia tua eſt, & propter creationem & regenerationem, & alia, quia miſericors eſt. Circumſtantia temporis, vt hoc faciat in tempore oportuno & ſumma neceßitate captiuitatis, huius anadiploſis habet pathos. (a) clementiam tuam notam fac.*

Deus de Theman veniebat, & ſanctus de monte Paran. Sela.

Operuit cœlos gloria eius: & laudis eius plena fuit terra.

Splendor eius vt (b) lux fuit: (c) cornua e manu eius erant ipſi: (d) & ibi latibulum fortitudinis eius.

*Aliud argumentum a facili ex anteactis per narratiunculam. Tu multis beneficijs & miraculis te populo tuo adeſſe declaraſti, ergo ſerua.*

*1. Beneficium, tuliſti legem de monte Sinai, cui ſunt dicti montes vicini ad Auſtrum.*

*Amplificatio facti per hypotypoſin maieſtatis & potentiæ Dei. In eo, Dei*

Ante faciem eius ibat peſtis: & (e) deflagratio ad pedes eius.

*gloria vbique eſt patefacta & agnita.*

*(b) ſolis, alludit ad ſplendidam Moſis faciem.*

*(c) radij, ſplendores, fulgura præſentiam eius teſtantia.*

*(d) ibi tunc latens & abſcondita fortitudo Dei eſt detecta. Metaphoricæ locutiones. peſte perdidit incolas terræ Canaan.*

*(e) Cauma, ardens febris, huius ipſe fuit autor.*

Stetit & menſus eſt terram, vidit & diſſoluit gentes: & contriti ſunt (f) montes ſeculi, incuruati (g) ſunt (f) colles mundi, nam & itinera mundi eius ſunt.

*Aliud factum eius, quia occupaſti & diuiſiſti terrã Canaan in 12. tribubus, ſtante interim arca in monte Gilgal. Ergo potes. 3. factum & ſignum potentiæ, ſolo aſpectu diſturbauit & eiecit gentes ex terra Canaan.*

*(ff) reges, principes & primates terræ, metaphorice.*

*(g) humiliati, ſubmiſerunt ſe ei & perierunt.*

*Ratio, vel cum ibi tranſires poteſt exponi, vel quia mundus cum motibus cœleſtibus eſt in eius poteſtate.*

Propter iniquitatem vidi tentoria Chuſan: trepidauerunt (h) cortinæ terræ Midian.

*4. Beneficium. Quia liberaſti populũ ex manu Chuſan regis Syriæ. Iudic. 3. Ideo quidam legunt pro nihilo vidi, id eſt, irrita & vana vidi.* *(h) caſtra, tentoria tremuerunt per metonymiam & Synecdochen.*

*5. Opera Gideonis repuliſti Midianitas. Iudic. 7.*

Nunquid contra flumina iratus es DOMINE: num contra flumina tuus (i) furor? aut contra mare (k) excandentia tua? quia (l) aſcendiſti ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalus.

*6. Beneficium, quia iratus mari rubro in quo erat equitatus Pharaonis, perdidiſti illum, & tuum populum defendiſti. Exodi 14. Exaggeratur factum interrogatione, anthropopathia, & ſynonymia.*

*(i) Exarſit.*

*(k) ef-*

*(k) efferbuit ira, ecliptica oratio.*

*(l) eras in expeditione & pugnabas contra Ægyptios, cauſa finalis, vt ſaluares tuos.*

Nudatione nudabatur (m) arcus tuus: & iuramenta tribubus quæ locutus es.

*7. Tuis præſidijs, tuaque gubernatione Iſraëlitæ pugnarunt feliciter. Quia promißiones factas ſeruaſti, quæ ſunt iuramenta propter certitudinem, appoſitio. (m) arma tua, tuumque auxilium apparuit. Synecdoche.*

In fluuios ſcidiſti terram: viderunt te, tremuerunt (o) montes: gurges aquarum (p) tranſiit, dedit (q) abyſſus vocem ſuam, (r) altitudo manus ſuas leuauit.

*8. Diuiſis aquis per Iordanem duxiſti populum, Ioſue 3. vel, adminiſtrabas aquas ex rupe, vt in deſerto diuiſim profluerēt in vſum hominum & iumentorum.*

*Amplificatio miraculorum ab effectibus.*

*(o) vel principes & reges, vel montes ὑπερβολικῶς.*

*(p) in mare decidit, ſi altera pars Iordanis conſtitit.*

*(q) quia Iordanis fluuius eſt profundus.*

*(r) accumulauit aquas, & ſe quaſi in altum erexit.*

Sol & luna ſteterunt in (s) habitaculo ſuo: ad lumen ſagittarum tuarum incedebant, ad ſplendorem haſtæ tuæ fulgurantes.

*9. Tua virtute ſtetit ſol in pugna Ioſue, Ioſue cap. 10.*

*(s) in cœlo.*

*10. Iſraëlitæ incedebant nocte ſub luce grandinis & fulgurum tuorum in Ægyptios miſſorum. More militari tribuit Deo arma.*

In indignatione inceſſiſti in terram: in furore conterebas gentes.

*11. Iratus occupaſti terram Chananæorum & gentes eius perdidiſti.*

Egreſſus es in ſalutem

*12. argumentum faci-*

populi

populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

*litatis: ſicut omnib. temporibus ſeruaſti populum tuum per Chriſtum filium, ſic nos quoque ſerua. Eſt quoque vaticinium de Meßia liberatore ſpirituali, & conſolatio Eccleſiæ.*

Percuſſiſti caput de domo impii: denudaſti fundamenta eius vſque ad collum. Sela.

*Deleuiſti reges cum principibus & proceribus, qui ſunt proximi a capite, id eſt, a rege, vt collum, & ſunt robur regni, inſtar fundamenti, metaphorica locutio. Sis agito nunc quoque in ſeruando tuo populo.*

Maledicas (t) ſceptris eius: (u) capiti bellatorum eius venientibus vt turbo ad diſpergendum me.

*Precatio eſt contra hoſtes Eccleſiæ. Eſtque locus de pœnis eorum, de interitu Chaldæorum perſequentium Iſraelitas. Propoſitio per de Chaldæos. Ratio a iuſto, per comparationem, quia magno impetu in me tuum populum irruunt vt me perdant.*

*(t) regno Babylonico non ſis propitius, metonymia.*

*(u) vicorum, vrbi toti maledicas, vel regi & eius bellatoribus.*

Exultatio eorum, vt eorum, qui (x) pauperem in (y) abſcondito deuorant.

*Alia collatione hoſtium cupiditatem & alacritatem perdendi Iſraëlitas depingit.*

*(x) hominem omni ope & auxilio deſtitutum.*

*(y) quaſi Deo non vidente, exultant & illudunt nobis.*

Viam feciſti in mari equis tuis, in (z) luto aquarum multarum.

*A facili, ſicut traduxiſti per mare populum, oppreſſo hoſte, ſic nos ſerua extincto Nebucadnezare.*

*(z) in anguſtijs.*

Audiui & conturbatus eſt (a) venter meus: ad

*A ſignis ingentis conſternationis, cuius hac eſt*

vocem

vocem (b) contremuerunt labia mea.

*egregia deſcriptio. Tribuitur hic ſermo populo, & poteſt ad futura referri.*

*( a ) cor & totum corpus commotum eſt & exhorruit, ita vt neque edam, neque bibam.*

*( b ) ita vt abſit omnis lætitia.*

Ingreſſa eſt putredo in oſſa mea: expaui quod deberem expectare diem tribulationis, & aſcendere ad populum, qui contra nos bellaturus eſt.

*Putreſcit medulla attenuatur & conſumitur, effectus mœroris, totus in me conturbatus ſum.*

*A cauſa triſticiæ. Futura tribulatio & quod ipſis abeundum ſit in Chaldæam.*

Ficus enim non florebit: & non erit fructus in vitibus: mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum: abſcindetur ab ouili pecus, nec erit bos in ſtabulis.

*πάθος eſt ab alijs incommodis, quæ ſequentur vaſtationem, quorum eſt συναθροισμός, omnis enim agricultura ceſſabit.*

*Omittetur cura rei pecuariæ.*

Ego autem in DOMINO gaudebo: & exultabo in Deo ſalute mea.

*Peroratio eſt, ego etiam in cruce lætabor & gratias agam. Quia habeo Dominum & expecto ſalutem atque liberationem per Meſiam.*

DOMINVS Deus eſt fortitudo mea: & ponet pedes meos tanquam ceruarum: & ſuper excelſa mea deducet me victori canentem in Pſalmis.

*Qua omnia mala ſuperaturus ſum. Quia mihi velocem recurſum in patriam concedet, In vrbem excelſam, in templum ſitum in monte & patriam montoſam. Promiſsio gratitudinis, quia vult cantare Pſalmos in inſtrumentis Muſicis.*

# CANTICA QVAEDAM EX NOVO TESTAMENTO deſcripta.

## *Carmen Mariæ ſancti ſpiritus gratia excellentis & ſapientis virginis, Lucæ 1. Et ait Maria: Magnificat.*

*Eucharisticum eſt in genere demonſtratiuo: in quo agit Deo gratias pro immenſo beneficio, & ipſius virtutes pie celebrat.*

*Occaſio. Hac nota eſt ex hiſtoria. Nam Diua virgo profecta in oppidulum quoddam Iudææ vbi Zacharias habitabat vt Elizabetham cognatam inuiſeret: & poſtquam ſalutauit eam & honorifice amanterque reſalutata & accepta eſt, mater Domini dicta & prædicata eſt ob fidem beata, cœpit ipſa in fide firma & mente læta hoc Pſalmo laudare magnique facere Deum quem ſe ſciebat habere placatum, & tanquam in ſynodo piarum muliercularum ſuæ fidei confeßionem hanc edere.*

*Loci communes ſunt. De gratitudine piorum erga Deum. De virtutibus et beneficijs Dei. De præcipuo fine congreſſus piorum. De veritate Dei in promiſſa & præſtita redemptione & liberatione Eccleſiæ, exhibendoque Meßia.*

MAgnificat anima mea DOMINVM: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſeruatore meo.

*Propoſitio. Toto corde, mente læta & exultante, quanta quãta ſum, magnifacio & laudo Deum. Ratio quædam adiuncta, quia hunc agnoſco meum ſaluatorem. Eſt quoque vox Eccleſiæ veræ celebrantis Deum.*

Quia

Quia reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

*Confirmatio, ab honeſto & cauſa. Quia ex mera miſericordia me humili animo & conditione, & ignobilem atque contemptam dignatus eſt ſua gratia. Deus non reſpicit ad Eccleſiæ virtutes, ſed ad eius miſerias, & liberat eam.*

*Amplificatio huius gratuiti beneficij ex conſequenti & omnis futuræ poſteritatis teſtimonio. Quia merito dicitur beatus, quem non contemnit Deus.*

Quia fecit mihi magna, qui potens eſt: & ſanctum nomen eius.

*Alia ratio, laticiæ & beatitudinis ſuæ ex magnitudine beneficij dati ab eo ſolo qui ſolus poteſt rem tantam præſtare.*

*Excurrit quoque in laudes Dei, & 1. laudat a ſanctitate & maieſtate nominu, quæ & natura ei tribuitur, & reuerentia digna indicatur, & effectu talis eſt.*

Et miſericordia eius in progeniem & progeniem, timentibus ipſum.

*2. Laudat a miſericordia perpetua, qua omni tempore erga ſuam Eccleſiam afficitur. Eſt vero Eccleſia, quæ timet eum. Exod. 20. Deut. 7. & Pſal. 103.*

Præſtitit robur per brachium ſuum: diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.

*3. Laudat ab omnipotentia, vt vera cauſa efficiente, quia ſua ipſius potentia & virtute, vel etiam quia per Chriſtum, qui eſt brachium eius, tanta fecit.*

*Confirmat vero, ex actibus, qui ſunt ſigna omnipotentiæ, quia vt humilibus dat gratiam, ita arrogantes & inflatos conſilijs ſuis, & fiducia operum diſpergit, perdit, & cogitationes eorum reddit irritas.*

℣. Detraxit potentes de ſedibus, & euexit humiles.

*Quia in teſtimonium prouidentiæ ſuæ, is ſolus ſuis viribus & potentia nitentes de ſolijs deiecit: et ſæpe abiectos & obſcuros euexit ad dignitates, Daniel. 2. 1. Reg. 2. Eſt vero antitheſis obiectorum & actuum.*

Eſuri-

Eſurientes impleuit bonis : & diuites dimiſit inanes.

*Quia pijs egentibus donauit bona temporalia & ſpiritualia, ne perirent: impios vero diuites omnibus his voluit deſtitui, & in fœda egeſtate concidere.*

Suſcepit Iſraël puerum ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ.

*Poſtremo laudat a benignitate & veritate promiſſorum : Erexit & in gratiam recepit Iſraëlem & omnes credentes in ipſum.*

Sicut locutus eſt ad patres noſtros : nimirum, Abrahæ & ſemini eius in æuum.

*Cauſa, quia non eſt oblitus ſuæ miſericordiæ vt hoc beneficium ſit gratiæ non meriti, quia hoc olim Abrahamo & poſteritati eius perpetuo victura promiſit. Iccirco miſericordia ſua erga genus humanum adductus nunc tandem mittit promiſſum Meßiam in mundum ad redimendos, liberandos & ſaluandos omnes qui hunc Chriſtum vera fide expectarunt.*

Gloria patri & filio & ſpiritui ſancto : ſicut erat in principio & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

*Ex inſtituto Damaſi additur Pſalmis hæc doxologia, in ſynodo Nicena compoſita, qua æternum teſtimonium veræ ſapientiæ, iuſticiæ, miſericordiæ & veritatis, toti Trinitati tribuitur.*

## CANTICVM ZACHARIAE, LVCAE I.

*Et Zacharias pater eius repletus eſt ſpiritu ſancto, prophetauitq; dicens : Benedictus.*

*Pſalmus hic Zachariæ partim eſt euchariſticus propter*

*pter gratiarumactionem, partim propheticus cum de filio ſuo Ioanne vaticinatur, in genere encomiaſtico.*

*Occaſionis hiſtoria petatur ex eadem narratione. Cum enim Zachariæ ſacerdoti ſeni ex ſterili & effœta uxore non ſine miraculo ad prædictionem angeli natus eſſet filiolus Ioannes, cum magna amicorum congratulatione & admiratione: ipſeque facultatem loquendi recepiſſet, afflatu & virtute ſpiritus ſancti cœpit beneficium Dei ſummum de generis humani redemptione miſſo filio confiteri & prædicare, & ſimul de officiis Ioannis futuri Dei miniſtri prophetare hoc hymno ſingulari & diuino, cuius loci communes ſunt. De gratiarumactione, exemplo Zachariæ. De veritate promiſſionum de Meſſia factarum. De Euangelio & eius effectibus. De regno Chriſti. De miniſterio Ioannis.*

LAudandus DOMINVS Deus Iſraël, quia viſitauit, & fecit redemtionem populo ſuo.

*Propoſitio euchariſtiæ eſt: ſit laus & honor Domino creatori, & Iſraelitarum ex pacto, omniumque fide Meſſiam amplectentium Deo. Confirmatio eſt argumento ab honeſto ex veritate & benignitate Dei. Quia viſitauit ſuum populum in miſericordia ut eum ſaluet, & ſtans promiſſis venit miſſo Chriſto ad illum, qui captiuus tenetur a peccato, morte & diabolo redimendum & liberandum.*

Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Dauid pueri ſui.

*Rationis explicatio a modo, quia iam mittit filium ſuum & per illum inſtituit regnum ſpirituale firmum & æternum, in quo ſalus & felicitas æterna continget omnibus, qui in Eccleſia militabunt Chriſto regi, habebunt quoque in hoc cornu, id eſt, robur & potentiam aduerſus hoſtes ſpirituales.*

Sicut locutus eſt per os

*A teſtimonio prophe-*

ſanctorum, qui a ſeculo fuerunt, prophetarum eius.

*tarum a Spiritu S. impulſorum, per quos ab initio mundi hanc redemptionem nobis promiſit: omnes enim Prophetæ nos ad Chriſtum ducunt.*

Fore, vt ſeruaremur ab inimicis (a) noſtris: & de (b) manu omnium, qui oderunt nos.

*Ab vſu vel fine promiſsi Chriſti: vt per eum ſalui ſimus ab hoſtibus peccato, morte, diabolo. Hi enim ſunt hoſtes Eccleſiæ ſpirituales, quamuis etiam habet externos perſecutores.*

*(a) quia nobis eſt promiſſus, natus, datus ſeruator.*

*(b) imperio, tyrannide eorum.*

Vt vteretur miſericordia erga patres noſtros: ac memor eſſet teſtamenti ſui ſancti (c).

*A cauſis impulſiuis aut efficientibus. Quia non fecit propter vllius opera, ſed per miſericordiam ſuam, vt beneficium ſit gratuitum: fit enim redemptio per miſericordiam. Deinde ne videretur ob longam moram promiſsionis & fœderis percuſsi de mittendo Meſsia oblitus eſſe.*

*(c) vel inuiolati, vel vt eo vere ſanctificemur.*

Præſtaretque iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, ac daret nobis.

*Expolit a modo & veritate promiſsionis, cum perſonæ circumſtantia: quia iureiurando confirmauit fœdus ſuum, & iurauit Abrahæ, Geneſ. 22. Certi ergo ſimus de omnium promiſſionum veritate.*

Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiremus illi.

Cum ſanctitate & iuſticia coram ipſo cunctis diebus vitæ noſtræ.

*Ab effectibus aut fructibus gratuitæ iuſtificationis, vt animis & conſcientijs fide pacatis ſine diffidentia & libere colamus Deum & faciamus debita officia pietatis erga Deum, & charitatis erga*

*proximum iuxta vtranque tabulam, in conſpectu eius quamdiu in his terris ducimus ſpiritum.*

Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem DOMINI ad parandum vias eius.

*Per apoſtrophen de filiolo vaticinatur, & pergit beneficium gratiæ pluribus commendare.*

*Protaſis. Iohannes erit Propheta Dei.*

*Confirmatio per expoſitionem officij eius. Quia ſuo præconio parabit & conuertet homines ad audiendum Meſsiam: quod fecit iuxta Malach. 3. & Eſa. 40. Quia miniſterio eius gratia Euangelij pateſiet mundo.*

Ad dandum ſcientiam ſalutis populo ipſius per remiſſionem peccatorum eius.

*A præſtanti vtilitate miniſterij eius, vt ex ipſo diſcat populus Dei veram viam conſequendæ ſalutis, quæ conſiſtit in remiſsione peccatorum.*

Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitauit nos oriens ex alto.

Vt illuceſceret iis, qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

*Repetitio eſt cauſæ impulſiuæ & efficientis ſalutis: quia Deus intima miſericordia motus de cœlo demiſit filium & nos per eum in gratia vt ſolem orientem viſitauit.*

*Concludit ab explicatione vſus & finis aduentus Meſsiæ. Eſt vero tota locutio allegorica, qua & humani generis miſera conditio & Chriſti verum officium indicatur in quadam antitheſi. Homines omnes ſedent circumfuſi tenebris, ignoratione Dei & idolatria: tenentur carcere peccati, mortis, damnationis: ijs apparet Chriſtus vera lux, ſua gratia, dat eis noticiam ſui nominis & fidem, vt ea liberentur ex malis & veram perfectamque beatitudinem conſequantur, & in eam quaſi pedibus eant.*

Gloria patri & filio, &c.

# CANTICVM SIMEONIS. LVCAE II.

## *Nunc dimittis, &c.*

*Canticum eſt gratulatorium & encomiaſticum: in eo prædicatur beneficium Dei grato animo & Chriſtus laudibus ornatur.*

*Occaſio eſt: cum parentes Chriſti ipſum ex lege exacto purgationis tempore attuliſſent in templum Hieroſolomytanum, vt ipſum primogenitum ſiſterent Domino, & vſitatam hoſtiam offerrent, Venit eo quoque Simeon pius vir ductu ſpiritus ſancti: is vbi Chriſtum & fidei & corporis oculis agnouit, complexus eſt eum, & vt Euangeliſta ait, accepit eum in vlnas ſuas & laudauit Deum, ac dixit, Is viſo puerulo ſingulari lætitia perfuſus cœpit gratias agere Deo promiſſo filio Chriſto, hoc carmine.*

*Loci. De nato Chriſto teſtimonium. De vſu natiuitatis eius. De veritate promiſsionum.*

NVnc dimittis ſeruum tuum DOMINE, ſecundum verbum tuum in pace.

*Propoſitio hymni eſt cum voto: nunc fac vt animo tranquillo moriar. Nam ijs qui vere agnouerunt Chriſtum adeſt pax & tranquillitas conſcientiæ, & ſingulare deſiderium decedendi. Huic inſeritur ratio a iuſto ex Dei promiſsis: quia tu dixiſti me non prius quam viſo ſaluatore deceſſurum eſſe: at nunc vidi ipſum quem cupide expectaui, me igitur dimitte: moriuntur pij voluntate Dei.*

Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

*Confirmatio, ab euentu promiſsionis diuinæ: quia meis hiſce oculis vidi ſaluatorem a te promiſſum & datum, ideo nunc ſenex obdormiam.*

Quod paraſti ante faciem omnium populorum.

*Deſcribit autem & laudat Meßiam per egregia epitheta: quia eſt ordinatus a Deo, vt ab omnibus populis agnoſcatur σωτήριον, in quo vt fonte ſalutis, & propter quem omnes in fide ſaluantur & beati fiunt.*

*Eſt quoque paratum ſalutare ne videatur noſtris meritis acquiſitum.*

Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.

*Secunda notatio per epitheton: quia eſt lumen, vt luceat gentibus, det ſui cognitionem, vt agnitis peccatorum tenebris ad Chriſtum confugiant & ab ipſo remißionem peccatorum & vitam impetrent.*

*Tertia eſt, quia eſt gloria Iſraëlis: habet enim Iſraël in ipſo de quo glorietur & in quo veram gloriam nanciſcatur, quamuis Iudæi præter gloriationem prærogatiuæ natiuitatis & promißionis nihil retinuerunt.*

Gloria patri & filio, &c.

## SYMBOLVM AVT CANTIO BEATI AMBROSII ET Auguſtini.

*Canticum eſt eucharisticum & laudatorium, in quo tota Trinitas laudibus effertur, & Chriſti præcipua beneficia celebrantur: & exomologeticum a pijs doctoribus editur confeßio fidei, de præcipuis articulis, & precationibus Eccleſia Deo commendatur.*

*Loci communes. De laudibus Trinitatis. De beneficijs Chriſti. De confeßione fidei in Eccleſia. De oratione Eccleſiæ ſalutem ſuam Deo commendantis.*

TE Deum laudamus: te DOMINVM confitemur.

*Propoſitio laudationis γενική: omnes pij & omnia creata laudibus*

*efferunt Deum conditorem, & redemptorem ſuum agnoſcunt atque profitentur.*

Te æternum patrem omnis terra veneratur.

*Amplificatur propoſitio diſtributione. Quia omnes terram inhabitantes (per ſynecdochen) tribuunt Deo gloriam, honorem & teſtimonia bonitatis, omnipotentiæ, iuſticiæ. Accipitur vero nomen patris eſſentialiter, quia totam diuinitatem alloquitur.*

Tibi omnes angeli, cœli & vniuerſæ poteſtates.

*Omnes ſpiritus cœleſtes, omnis gubernatio, imperia & ordines in cœlo & in terra, vniuerſa cœleſtis ſocietas laudat Deum.*

Tibi Cherubin & Seraphin inceſſabili voce proclamant.

Sanctus, ſanctus, ſanctus DOMINVS, Deus Sebaoth.

Pleni ſunt cœli & terra maieſtatis gloriæ tuæ.

*Repetit angelicum & æternum cantum, quo celebratur Deus. Nam angeli tanquam imagines alatæ referentes floridam faciem puerorum, & fulgentes tanquam ignis, canunt Deum exercituum aut virtutum, cuius opera & iudicia ſunt ſancta, & cuius maieſtas cœlum & vniuerſam terram implet. Eſa. 6. Apoc. 4.*

Te glorioſus Apoſtolorum chorus: te Prophetarum laudabilis numerus.

*Apoſtoli, Prophetæ & Martyres in cœlo viuentes laudant Deum. Eſt vero amplificatio in epithetis & ſynonymia vocũ. Epitheta ſunt, ἔνδοξος, αἰνετὸς, λευκοφορούμενος, id eſt, innocens per Chriſtum, & biſſino albo veſtitus, Apocal. 19.*

Te martyrum candidatus laudat (b) exercitus.

*(b) ingens cœtus.*

Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia.

*Sola Eccleſia Dei & Catholica agnoſcit & confitetur trinitatẽ in vnitate.*

Patrem

Patrem immenſæ maieſtatis: (c) venerandum tuum verum & vnicum filium.

*(c) & potentiæ, quam cum reliquis perſonis habet eandem et eſſentialem.*

*Pari honore cum patre & ſpiritu colunt.*

Sanctum quoque paracletum ſpiritum.

*Verum aduocatum & paraſtatam in omni cruce & neceſſitate, ab officio nomen hoc habet.*

Tu rex gloriæ Chriſte, tu patris ſempiternus es filius.

*Laus ſecundæ perſonæ per deſcriptionem.*

*A nomine.*

*A dignitate, quia rex glorioſus, ſed ſpiritualis.*

*A natalibus, quia Dei filius natiuitate æterna.*

Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterum.

*Ab officio & fine miſſionis, quia liberator humani generis.*

*Ab humiliatione & incarnatione eius, & admiranda natiuitate.*

Tu deuicto mortis aculeo, aperuiſti credentibus regna cœlorum.

*A rebus geſtis & præcipuo beneficio. Quia morte ſua vicit mortem, ne amiſſo aculeo nobis noceat, 1. Corinth. 15. Quia victoria ſua meruit nobis vitam æternam patefecit iter in æterna gaudia ijs qui vera fide ipſum complectuntur.*

Tu ad dexteram Dei ſedes, in gloria patris.

*Ab exaltatione & declaratione gloriæ & potentiæ eius, qua cum patre pari eſt & omnia implet.*

Iudex crederis eſſe venturus.

*Ab vltimo eius aduentu & officio liberationis Eccleſiæ per iudicium.*

Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos precioſo ſanguine redemiſti.

*Ardens eſt precatio eccleſiæ qua petuntur bona ſpiritualia & temporalia. Succurre nobis in*

*omni neceſsitate propoſitio. Ratio ab honeſto, quia te Dominum redemptorem agnoſcimus: dignitas redemptionis ex Lytri præſtantia, Rom. 3. 1. Pet. 1.*

Aeterna fac cum ſanctis tuis gloria munerari.

*Fac nos quoque participes cœleſtis gloriæ: quidam legunt, numerari συναριθμηθῆναι.*

Saluum fac populum tuum DOMINE: & benedic hæreditati tuæ.

*Ades nobis, qui omnem ſpem ſalutis in te habemus repoſitam. Pſal. 28.*

Et rege eos, & extolle illos vſque in æternum.

*Orat quoque vt promiſſam remiſsionem peccatorum & vitam æternam donet Eccleſiæ.*

*Petit deſenſionem, conſeruationem & glorificationem Eccleſiæ. Eſt vero in his epimone per congeriem rerum petendarum.*

Per ſingulos dies benedicimus te: & laudamus nomen tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

*Ab vtili vel remuneratione, quia nos gratis animis ſempiternis laudibus te colimus.*

Dignare DOMINE die iſto ſine peccato nos cuſtodire.

*Effice ſpiritu tuo vt caueamus peccata & ſimus hodie ἀναμάρτητοι.*

Miſerere noſtri DOMINE, miſerere noſtri.

*Affectus internus & ardor animi parit hanc anadiploſin.*

Fiat miſericordia tua DOMINE ſuper nos: quemadmodum ſperauimus in te.

*A cauſis exauditionis, quia miſericors, quia fide expectamus a te præſidium.*

In te DOMINE ſperaui, non confundar in æternum.

*Concludit epiphonemate ex Pſal. 31. Liberabor a te tempore ſuo.*

Symbolum

# SYMBOLVM ATHANASII EPISCOPI ALEXANDRINAE VRBIS, SCRIPTUM circa annum Domini 333. poſt Apoſtolicum & Nicenum.

*Scriptum eſt dogmaticum, & eſt ἐξομολόγησις fidei Athanaſij, quo vt ſigno voluit ipſe & Chriſtianus cognoſci & ſuam doctrinam ſanam ab Ethnicorum, Iudæorum & hæreticorum diſcerni. Eſt quoque collectum & editum ad refutandos errores Arij & Sabellij, Manichæi, Neſtorij & aliorum.*

1. Verus de DEO sensus. 2. Verus eiusdem cultus. M. Copp. 1597.

*Duo ſunt eius loci. 1. De Trinitate perſonarum in diuinitatis vnitate.*

*2. De incarnatione filij Dei, & toto redemptionis opere.*

(a) Quicunque vult (b) ſaluus eſſe: ante omnia opus eſt, vt teneat (c) catholicam fidem.

*Orditur a fidei neceſſitate: Ratio quia ſine ipſa nemo abſoluitur a peccatis, liberatur a morte, et fit hæres uitæ æternæ.*

*Fidei autem nomen complectitur noticiam omnium articulorum, & fiduciam acquieſcentem in promiſsione propter Mediatorem.*

*(a) cuiuſcunque ætatis, ſexus, conditionis iuxta Auguſtinum.*

*(b) hic in ſpe per gratiam, poſtea in re per gloriam.*

*(c) ab vniuerſali Eccleſia receptam.*

Quam niſi quis (d) integram (e) inuiolatamque ſeruauerit: abſque dubio in æternum peribit (f).

*Ratio a contrario effectu.*

*(d) σῶαν in omniū articulorum ſcripturæ noticia, aſſenſu & fiducia vera.*

*(e) quæ non dat locum vel dubitationi, vel opinioni, vel ſuperſtitioni, & uiua eſt per dilectionem operans.*

 (f) con-

Fides vera est & requirit 1. necessaria. 2. salutifera. 3. pura. 4. Catholica.

*(f) condemnabitur, Marci vltimo.*

Fides autem catholica eſt hæc: vt VNVM (g) DEVM in (h) TRINITATE, & trinitatem in vnitate veneremur.

*Propoſitio eſt & quaſi definitio fidei de Trinitate, vniuerſa Eccleſia credit corde, confitetur ore, & pio cultu adorat vnum Deum in eſſentia, & trinum in perſonis.*

*(g) vnam naturam & eſſentiam diuinam, Deute. 4. 6. 32. Marci 12. 1. Timoth. 2. Galat. 3.*

*(h) Trium perſonarum ſuis proprietatibus ad intra, & relationibus diſtinctarum vnitate.*

Neque confundentes perſonas · neque (i) ſubſtantiam ſeparantes.

*Quia tres ſunt realiter diſtinctæ ὑποστάσεις res vere ſubſiſtentes, non vna tantum, contra Sabellium: neque ſecundum perſonas eſſentiæ ſunt diſtinguendæ. Diſtinguenda eſt perſonarum Trinitas: non diſcerpenda eſt naturæ vnitas.*

*(i) οὐσίαν vnam ſimplicem & indiuiduam naturam.*

Alia eſt enim (k) perſona patris: alia filii: alia ſpiritus ſancti.

*Ratio eſt exemplis diſtinctionem perſonarum realem, perſonalem monſtrans, non vero eſſentialem: non ſunt diuerſæ, non differentes, non diſpares, non alienæ perſonæ: neque pater eſt aliud a filio, ſed alius, id eſt, alia perſona, vt enumerantur in baptiſmo Iohannis, & baptiſmi noſtri inſtitutione.*

*(k) ὑπόστασις vel ὑφιστάμενον, vel πρόσωπον: quia ſunt tres ſubſiſtentes, diſtinctæ, ſingulares & intelligentes perſonæ relatæ ad ſe inuicem.*

Sed patris, & filii, & ſpiritus ſancti vna eſt diuinitas: æqualis gloria: coæterna maieſtas.

*Deſcribit perſonas proprietatibus eſſentialibus. Vna diuina natura, quam pater gignens filium ab æterno ei communicat, & pater cum filio communi ſpiratione communicant ſpiritui. Idem quoque perfectæ diuinæque omnipotentiæ, ſapientiæ, iuſti-*

*ciæ & cæterarum virtutum teſtimonium ipſis debetur: eſt quoque eadem ſtatus autoritas, poteſtas.*

Qualis pater, talis filius, talis Spiritus ſanctus.

*οἷος τοιοῦτος, eadem ſunt perſonarum qualitates, ſed ab eſſentia non diſtinctæ: ſunt enim ſubſtantiales.*

Increatus pater, increatus filius, increatus ſpiritus ſanctus.

*Deſcriptio eſt trium perſonarum ex proprietatibus communibus, Prima eſt ἄκτιστον eſſe.*

*Arius ſomniauit filium eſſe primam Dei creaturam ἐκ τῶν μὴ ὄντων, ex nihilo conditam. Eſt enim genitus ex patris ſubſtantia.*

*Spiritus ſanctus quoque per communem ſpirationem a patre & filio procedit.*

Immenſus pater, immenſus filius, immenſus ſpiritus ſanctus.

*Secunda proprietas eſſe ἀκατάληπτον comprehendi, circumſcribi, magnitudine finiri non poſſe.*

Aeternus pater, æternus filius, æternus ſpiritus ſanctus

*Tertia eſt eſſe αἰώνιον, quod eſt Nazianzeno ſemper fuiſſe, eſſe & fore, neque incipere, neque deſinere: & eſſe ἄναρχον & ἄχρονον.*

Et tamen non tres æterni: ſed vnus æternus: ſicut nec tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

*Prodiorthoſis eſt: quia vna eſt numero in tribus æternitas. Quia omnes tres vnum ſunt principiū. Quia vna eſt immenſa magnitudo, ſicut vna eſt eſſentia.*

Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens ſpiritus ſanctus.

*Quarta eſt, quia παντοδύναμος immenſæ potentiæ & virtutis: eſt earum perſona-*

Et ta-

Et tamen non tres omnipotentes: ſed vnus omnipotens.

*rum vna & indiſtincta & infinita potentia omnia creans, faciens, ſuſtentans. Quia omnipotentia eſt eſſentialis: eſſentia vero eſt vna, ideo vna potentia numero, quæ pluribus communicatur.*

Ita Deus pater, Deus filius, Deus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres dii: ſed vnus eſt Deus.

*Quinta eſt, eſſe θεὸν, habere diuinam naturam & eſſentiam, quæ vna eſt & tribus communis, Ioan. 6. Ioan. 1. Actor. 5. huc facit nomen Iehoua, contra Trideitas et πολυθεΐαν.*

Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus ſpiritus ſanctus:

Et tamen non tres Domini, ſed vnus eſt Dominus.

*Sexta eſt, quod ſint κύριος.*

*Ratione creationis, gubernationis, & conſeruationis.*

*Hoc de filio Arius, de ſpiritu ſancto Eunomius, qui eum fecit Dei miniſtrum, negarunt.*

Quia ſicut ſigillatim vnamquamque perſonam Deum aut Dominum confiteri (l) Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, (m) Catholica religione prohibemur.

*Ætiologia eſt correctionis: regula eſt: Nomina pure eſſentialia (vt ſunt Dominus, Deus) dicuntur de qualibet perſona per ſe, & de omnibus ſimul ſingulariter, ſed non pluraliter.*

*(l) fide, qua & Chriſto inſerimur, & Chriſtianorum nomine ornamur.*

*(m) vniuerſali, non ab aliqua hæreſi vt Arij, Sabellij.*

Pater a nullo factus eſt, nec creatus, nec genitus.

*Nunc deſcribit & diſcernit perſonas, per proprietates perſonales, quibus ad intra diſcernuntur & diſtin-*

*diſtinguuntur. Quia pater ſic dictus reſpectu filij & noſtri, eſt perſona prima diuinitatis carens origine & natiuitate, ſed ipſe genuit filium ab æterno: & eſt ἀγέννητος.*

Filius a patre ſolo eſt, non factus, non creatus, ſed genitus.

*Notiones perſonales filij, qui eſt perſona ſecunda, non facta aut creata ex nihilo, ſed ab æterno de patris ſubſtantia genita ratione nobis ignota, Pſal. 2. ad Hebræ. 1.*

Spiritus ſanctus a patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

*Spiritus ſanctus deſcribitur, primum a communibus proprietatibus, quia a nullo factus aut creatus, ſicut neque pater, neque filius. Secundo a proprietate quam cum patre communem habet, quia ἀγέννητος. Poſtremo perſonali interna & incommunicabili: quia eſt ἐκπορευτὸς: nam a patre & filio procedit æterna proceßione, eſt itaque pater cum filio fons proceßionis huius.*

Vnus ergo pater non tres patres, vnus filius, non tres filii, vnus ſpiritus ſanctus, non tres ſpiritus ſancti.

*Vna perſona gignens, cui vna notio paternitas cõuenit, & vnus reſpectus. Vna perſona genita, vna generatione eaque æterna. Vna perſona procedens ab vtroque.*

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius, aut minus: ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.

*Deſcribit ab ijs, quæ perſonis communia ſunt. Eſt quidem inter perſonas ordo originis, ſed non quo alia eſt priori alia natura, tempore, loco & ratione vel intelligentia: magnitudo quoque eſt eſſentiæ, quæ eadem eſt: ſicut & ipſarum vna eſt æternitas, & coæqualis gloria. Ergo ſunt* συναΐδιαι ἑαυταῖς & ἴσαι ὑποστάσεσι

Ita vt per omnia (ſicut

*Repetit propoſitionem*

iam

iam ſupra dictum eſt ) & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

*ſummam fidei noſtræ de Trinitate complectentem. Credimus quod ſit μονὰς ἐν τριάδι, & τριὰς ἐν μονάδι vera fide & cultu veneranda.*

Qui vult ergo ſaluus eſſe, ita de Trinitate ſentiat.

*Clauſula hac aſſertiua fidei huius neceſſitatem repetit.*

Sed (a) neceſſarium eſt ad (b) æternam ſalutem, vt (c) incarnationem quoque (d) DOMINI noſtri Ieſu Chriſti (e) fideliter credat.

*Alter locus nunc tractatur, qui eſt de incarnatione filij Dei, πρότασις, credenda eſt incarnatio filij Dei, ſaluandis.*

*(a) neceſſitate abſoluta.*

*(b) ad remiſſionem peccatorum, iuſticiam & vitam æternam conſequendam.*

*(c) ἐνσάρκωσιν mirandam humanæ naturæ, aſſumptionem, & humanæ naturæ cum diuina in vna perſona ἕνωσιν ὑποστατικήν.*

*(d) conditoris, redemptoris & ſaluatoris.*

*(e) ὀρθῶς, recte, integre, corde & ore.*

Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quod Dominus noſter IESVS CHRISTVS Dei filius, Deus & Homo ſit.

*Expoſitio per ὁρισμὸν quid illa fides ſit: eſt enim credere, quod Dei filius ſit perſona vna duabus conſtans naturis mirabiliter & inſeparabiliter vnitis.*

Deus ex ſubſtantia patris ante ſecula genitus: & homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.

*Vnde Deus & homo eſt.*

*Duplex eius natiuitas: æterna, qua pater genuit ipſum, iccirco is eſt character ſubſtantiæ eius, & imago patris eſſentialis & integra: eſt Deus de Deo, lumen de lumine:*

*de lumine. Temporalis, qua eſt natus ex virgine matre verus homo, non corpore phantaſtico, aut cœleſti, & certo tempore ſubſtantiam humanam ex ea aſſumpſit.*

Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

*Qualis Deus & homo. Quia aſſumpſit corpus & animam humanam, vel naturam integram habentem omnes vires, & appetitiones naturæ proprias ſine peccato: non fuit ei diuinitas loco animæ, vt Eutiches & Arius docuerunt.*

Aequalis patri ſecundum diuinitatem: minor patre ſecundum (f) humanitatem.

*Quia eſt in forma Dei Philip. 2. quia ipſe & pater ſunt vnum. eſt ὁμοούσιος patri, eiuſdem ſubſtantiæ aut eſſentiæ diuinæ.*

*(f) vt homo humiliatus & officio ſuo fungens, vnde ait: Pater maior me eſt. Ioan. 14.*

Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed vnus Chriſtus.

*Etſi duarum eſt in ipſo naturarum vnio, eſt tamen vna perſona, non duæ: vnus Chriſtus non duo: vna duabus naturis conſiſtens ſubſiſtentia, vt Nicephorus loquitur.*

Vnus autem non conuerſione diuinitatis, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

*Exponit modum huius vnionis quæ eſt per aſſumptionem, non conuerſionem alterius naturæ in alteram.*

Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ.

*Vna eſt ὑπόστασις, in qua non eſt confuſio, aut mixtio, aut tranſmutatio naturarum, ſed inſeparabilis & perſonalis vnio: manet quoque eſſentia naturarum, & cuiuſque proprietates ſaluæ.*

Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & ho-

*Etſi huius vnionis nullum eſt exemplum in creaturis, quod prorſus congruat, tamen vetuſtas,*

*vt aliquo*

mo vnus eſt Chriſtus. *vt aliquo modo declaret hanc vnionem, oſtendit hominem: ſicut anima hominis & corpus ſunt vnum ὑφιςάμενον completum, & corpus diſſoluitur deſertum ab anima, ita λόγος & aſſumta natura ſunt vnum ὑφιςάμενον, & redigeretur in nihilum illa miſſa, ſi non ſic geſtaretur a λόγῳ. Sic igitur deſcribitur vnio hypoſtatica, quod ſit vnio, qua perſona aſſumit naturam, ita vt ſuſtentet eam, quæ alioqui non eſſet, niſi ſic ſuſtentaretur.*

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra. *Deſcribit nunc fructum incarnationis, opus redemptionis humanæ & ſatisfactionis Chriſti pro peccatis mundi. Eſt enim paſſus, crucifixus, mortuus, vt nobis ſalutem amiſſam repararet: ab execratione aut maledictione nos liberaret, & deuicta morte vitam reſtitueret.*

Deſcendit ad inferos. *Vt oppreſſo Satana omnes nos ab inferni ſupplicio liberaret: ſeque doceret eſſe viuorum & mortuorum liberatorem. Hoc quidem non habetur in omnibus ſymbolis, ſed traditur tamen in ſcriptura, Pſal. 48. 85. 1. Pet. 3.*

Reſurrexit a mortuis. *Reuixit tertia die propter iuſtificationem noſtram: & vt nos reſurgamus per ipſum ad vitæ nouitatem, Rom. 6. Coloſſ. 3. & ſimus certi de futura reſurrectione, 1. Cor. 15. Rom. 8.*

Aſcendit ad cœlos: ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. *Corporali & viſibili ſua præſentia & conuerſatione priuauit diſcipulos. Et exaltauit naturam humanam ſuper omnes creaturas, in illa arcana luce Dei regnans cum patre. Cyprianus in expoſitione ſymboli apoſtolici Aſcendit ad cœlos, non vbi verbum Deus antea non fuerat, quippe qui ſemper erat in cœlo, & manebat cum patre, ſed vbi verbum caro factum antea non ſedebat.*

Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos. *Inde) Ex hac arcana luce, vbi iam regnat, reuerſurus*

*uerſurus eſt in nouiſſimo die, viſibilis & glorioſus iudex, ad iudicium, & iudicabit tam viuos qui reperientur, quam mortuos qui reſuſcitabuntur.*

*Perſona iudicis. Perſona iudicandorum.*

Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere debent cum corporibus ſuis.

*Teſtimonium futuræ reſurrectionis.*

*Erit ergo iudicium vniuerſale poſt particulare.*

Et reddituri ſunt de factis propriis rationem.

*Modus iudicij.*

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala in ignem æternum

*Sententia finitiua.*

*Pij fruentur vita æterna.*

*Impij abijcientur in æternos cruciatus.*

Hæc eſt fides Catholica: quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit: ſaluus eſſe non poterit.

*Concludit repetens propoſitionem fidem Catholicam ſaluandis eſſe neceſſariam.*

## SYMBOLVM QVOD NICEnum dicitur. Eſt enim in prima Nicenæ vrbis Synodo conſcriptum, editum & receptum ab Eccleſia, & continet Chriſtianæ apoſtolicæque doctrinæ capita.

### *De vſu ſymboli Chriſtiani.*

*Symbolum vel apoſtolicum, vel Nicenum eſt fidei noſtræ profeſſio, de ſancta Trinitate & eſſentia Dei, de perſonis, & ſuauiſſima commonefactio de ſummis Dei beneficijs, de creatione & aſsidua conſeruatione naturæ, de redemptione hominum per filium Dei, de auxilio Spiritus ſancti, de colle-*

*ctione Eccleſiæ, de futuro iudicio & miranda conſuetudine Eccleſiæ in tota æternitate, in qua Deus erit omnia in omnibus. Symbola quoque appellarunt breuem præcipuorum articulorum ſeu omnium, ſeu præcipuorum doctrinæ Euangelij collectionem.*

### I. ARTICVLVS.

*De Deo patre: de creatione, quæ etſi commune opus eſt Trinitatis: tribuitur tamen patri vel officij cuiuſdam, vel reuerentiæ cauſa.*

I. Credo in vnum Deum.

πιστεύω εἰς ἕνα θεόν.

*Vera fide agnoſco vnum Deum, & meam omnem ſiduciam in eo colloco: qui eſt El Sadai, Deus omnipotens, Geneſ. 17. 28.*

II. Patrem.

πατέρα.

*Vere paterna beneuolentia complectentem nos ſilios adoptiuos propter vnigenitum.*

III. Omnipotentem.

παντοκράτορα.

*Qui nobis poteſt adeſſe, & omnia ſua prouidentia regit, virtute moderatur, voluntate gubernat.*

IIII. Factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium.

ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁρατῶν τε πάντων, καὶ ἀοράτων.

*Qui condidit λόγῳ, fouet, viuificat & conſeruat omnes creaturas, viſibiles & inuiſibiles. Ideo eſt vere Iehoua, 1. Corinth. 8.*

### II. ARTICVLVS.

*De filio Dei incarnato, de Redemptione humani generis.*

Et in vnum Dominum

κύριον.

*Tam ob creationis quam redemptionis beneficium.*

Ieſum

IESVM. Ἰησοῦν.

*Nomen officij eſt, vt ſaluet populum a peccatis, Matth. 1. Lucæ 2.*

CHRISTVM. Χριστόν.

*Meßiam noſtrum, regem oleo laticiæ a ſpiritu ſancto, perfuſum: & vbique regnantem, ſacerdotem quoque æternum, qui ſe pro mundi peccatis obtulit. Eſt quoque officij nomen.*

Filium Dei vnigenitum. τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, τὸν μονογενῆ.

*Dei viui filium verum, naturalem, & vnicum: cum nos ſimus filij adoptione & gratia. Ioh. 1.*

Et ex patre natum ante omnia ſecula. τὸν ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. Deum de Deo,

*Confeßio de diuinitate Chriſti, eiuſdemque deſcriptio.*

*Eſt æternus Dei filius, a patre ab æterno genitus.*

Lumen de lumine, Deum verum, ex Deo vero, φῶς ἐκ φωτὸς, θεὸν ἀληθινόν.

*Eſt imago eſſentialis patris, æterni ſolis radij diuini, eſſulgens lumen & fulgor luminis patris, Dei veri filius verus.*

Genitum non factum, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα.

*Proprietas eſt perſonalis, qua a reliquis perſonis differt.*

*Non eſt quoque creatura ex nihilo condita.*

Conſubſtantialem patri, ὁμοούσιον τῷ πατρί.

*Eſt eiuſdem eſſentiæ cum patre, conſubſtantialis & coæqualis ipſi, pari omnipotentia, æternitate, &c. non eſt* συνούσιος *aut* ταυτούσιος, *vel* ὅμοιος.

Per quem omnia facta ſunt, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο.

*Opus eſt Dei proprium, verum diuinitatis* τεκμήριον, *creatio, Ioan. 1. Corin. 15. & Coloſſ. 1.*

Qui propter nos homi-

ἐξομολόγησις *de hu-*



nes,

nes, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis.

*manitate Chriſti eiuſdemque fructibus. Is ſuſcepto Mediatoris officio exinaniuit ſe. Cauſa finalis, vt nos per eius interceßionem & ſatisfactionem ſaluaremur.*

Et incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, & ex Maria virgine, σαρκωθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ μαρίας τῆς παρθένου.

*ἐνσάρκωσις, quæ eſt aſſumtio humanæ naturæ & cum diuina inſeparabilis copulatio ſuperueniente ſpiritu ſancto, & virtute altißimi in vtero virginis, Lucæ 1. Eſai. 7. Ierem. 31.*

Et homo factus eſt, καὶ ἐνανθρωπήσαντα.

*Natiuitas ſicut & conceptio pura eſt ad tollendas ſordes, & immundiciem noſtræ conceptionis & natiuitatis impuræ, & peccatis contaminatæ, Lucæ 2. Mich. 5. Eſai. 9.*

Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato. σταυρωθέντα.

*Factus eſt maledictum in ligno, vt nos lethaliter vulneratos a peccatis, ſanaret, & a legis maledictione liberaret, Deuter. 2. Galat. 3. Numer. 21. Ioan. 3. Coloſſ. 2. obtulit ſeipſum in ara crucis pro nobis.*

*Perſonæ mentione indicatur tempus.*

Et paſſus, καὶ παθόντα.

*Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, contritus propter ſce'ra noſtra, Eſai. 53. Paßio eius eſt ſatisfactio pro peccatis noſtris.*

Et ſepultus, καὶ ταφέντα.

*Mortis eius non fit hic mentio, ſed poſito conſequenti vere ponitur antecedens. Eſt enim vere mortuus Dei filius pro peccatis noſtris, vt æternam mortem ſua morte tolleret, Oſeæ 13. 1. Corinth. 15. 1. Pet. 3. Actor. 13. tres Euangeliſtæ. Texit corpus peccati ſubtus terram a conſpectu iræ Dei.*

Et reſurrexit tertia die,

*Victoria Chriſti, re-*

ſecun-

ſecundũ ſcripturas, (Paul. 1. Cor. 15.)

καὶ ἀναστήσαντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, κατὰ τὰς γραφάς.

*uixit & non manſit in morte, & reſurrexit corpore glorioſo & ſpiritualibus dotibus ornato, Act. 26. Paulus, & Euangeliſta, ſecundum prædictiones & teſtimonia ſcripturæ.*

Et aſcendit in cœlum.

καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς.

*Triumphus & occupatio regni æterni, eſt exaltatus ex ignominia in gloriam, ex terrea uita in ſpiritualem & æternam tranſlatus, nobis aperiens cœlum.*

Sedet ad dexteram patris.

καὶ καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρός.

*Homo ille ſuſceptus a Deo, accepit poteſtatem, ut ueniat iudicaturus, qui prius uenerat iudicandus, ut inquit Auguſtinus, Collocatus igitur ad dextram Dei, adoratur ab omni creatura, regnat & adeſt ſuæ Eccleſiæ mediator, & aduocatus, Coloſſ. 2. Epheſ. 1. Phil. 2. Hebræ. 2. Pſal. 8. 140.*

Et iterum uenturus eſt cum gloria iudicare uiuos & mortuos.

καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

*Reditus Chriſti ad iudicium glorioſus, Matth. 24. 1. Corinth. 15. Pſalm. 49. Malach. 4. Iudicium, Actor. 10. 2. Timot. 4. Lucæ 17. 1. Cor. 15. 2. Cor. 5. 1. Theſſ. 4.*

Cuius regni non erit finis.

*Æternitas regni Chriſti, æternus rex, ſacerdos, Lucæ 1.*

## III. ARTICVLVS.

*De Spiritu ſancto, de ſanctificatione per eundem.*

Et in ſpiritum ſanctum.

*Credo in tertiam perſonam diuinitatis & omnem meam in ea colloco*

καὶ εἰς τὸ πνεῦμα, τὸ ἅγιον.

*fiduciam. A nomine deſcribit. Eſt ſpiritus: quia ſpiritus ſubſtantialis oris. In Ioele non eſt creatio agitata, ſed ſpiritus Dei aliquid eſſentiale Dei. Eſt quoque immediatum organum vitæ ſpiritualis: eſt ſanctus natura, & effectu vere ſanctificans & illuminans credentes in filium.*

Dominum,

τὸν κύριον.

*Ab eſſentia eius. Verus eſt Deus conſubſtantialis & coæternus patri & filio, eiuſdem eſſentiæ & naturæ, quia idem cum illis Dominus.*

Et viuificantem.

ζωοποιόν.

*A beneficio erga mundum & Eccleſiam. Is in prima conditione omnes res naſcentes viuificauit & fouit: mittitur in corda credentium Euangelio, vt in eis accendat lucem veræ agnitionis Dei, conſoletur & viuificet corda eorum. Hac eſt miſsio temporalis.*

Qui ex patre filioque procedit.

τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον.

*A proprietate interna, quæ eſt proceſsio æterna.*

Qui cum patre & filio ſimul adoratur. et conglorificatur.

τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον.

*A cultu diuino quem ipſi Eccleſia agnoſcens ipſum Deum tribuit.*

*Quidam addunt, & conglorificatur,* καὶ συνδοξαζόμενον.

Qui locutus eſt per Prophetas.

τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν.

*Ab alio eius officio, quia per eum vaticinati ſunt Prophetæ: Exempla ſunt Eſaiæ 59. Zacha. 7. Petrus de Prophetis loquens inquit: Spiritus Chriſti in eis prædicens Chriſtum paſſurum eſſe, 1. Pet. 1.*

Et vnam, ſanctam Ca-

*Confeſsio de Eccleſia*

tholicam

tholicam & apoſtolicam Eccleſiam.

εἰς μίαν ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν.

*Dei quam ſpiritus ſanctus in verbo colligit: hæc eſt vna, in Chriſto vnita & velut in vnum corpus pendens a Chriſto coalita: ſancta eſt, dum credit in Chriſtum, & ſanctis ſtudet operibus, eſtque communio ſanctorum, quibus fide remiſſa ſunt peccata. Catholica, in totum mundum diſperſa Eſt denique cœtus ab Apoſtolis & miniſtris Dei verbo eius collectus vere inuocans & colens Deum in hac & æterna vita.*

Confiteor vnum baptiſma in remiſsionem peccatorum.

ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.

*In Eccleſia eſt ſacramentum baptiſmi, quo baptizatus recipitur in gratiam & fit membrum eius Eccleſiæ: numerus eſt, vnum baptiſma. Epheſ. 5. eius effectus eſt remiſsio peccatorum, donatio ſpiritus ſancti, Marci vltimo, Actor. 2.*

Expecto reſurrectionem mortuorum.

προσδοκῶ ἀνάστασιν νεκρῶν.

*Fides de futura huius carnis reſurrectione, futura in nouiſsimo die, Iob 19. Daniel. 12 Ioan. 5. 6. 11. Rom. 8. Actor. 24. vt depoſito corpore mortali & peccato recipiatur immortale & ſpirituale ſine peccato viuamus Deo.*

Et vitam venturi ſeculi.

καὶ ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἀμήν.

*Vitam æternam æterni ſeculi, perpetuam lucem & læticiam ſempiternam Eccleſiæ, Dan. 12. Eſa. 35. Amen, Faxit Deus, vt hac πεπιστωμμένως vere & fideliter credam atque confitear, vt ipſa vera ſunt.*

## PSALMVS, QVI IN MATVTINIS ECCLESIAE PRECIBVS cantari ſolet.

*Eſt hortatorius, hortans & inuitans nos ad Deum Chriſtum agnoſcendum, laudandum, & ad nomen eius ſanctificandum inuocatione, auditione verbi, & fide: ne contempto ipſo verboque eius, pereamus in noſtra infidelitate, vt olim Iudæi in deſerto propter impietatem periiſſe leguntur: congruit cum Pſalmo 95. quem ſupra explicauimus.*

*Locus eſt. De gratiarumactione & nominis Dei celebratione. De diuinitate Meſsiæ. De vero cultu inuocationis & fidei, qui ei debetur.*

VEnite exultemus DOMINO: iubilemus Deo ſalutari noſtro.

(a) Præoccupemus faciem eius in confeſſione: & in Pſalmis iubilemus ei.

*I. πρότασις, celebremus Chriſtum cum exultatione & iubilo, agnoſcamus & confiteamur nomen eius, & pſalmis atque canticis nobis aduentum eius gratum eſſe conteſtemur. Huic inſertæ ſunt rationes, quia noſter Iehoua, quia venit vt ſaluet nos donans iuſticiam & vitam æternam.*

*(a) mature prodeamus in conſpectum eius ad celebrandum eum.*

Quoniam Deus magnus DOMINVS, & rex magnus ſuper omnes Deos.

*Confirmatio ab honeſto, a laudibus eius. Quia non nomine tãtum, ſed etiam natura Deus: & per contentionem, quia maior rex omnibus dijs, angelis, magiſtratibus & gentium idolis.*

Quoniam non repellet DOMINVS plebem ſuam:

*A benignitate & humanitate eius, quia humaniter accipit, audit & iuuat populum ſuum.*

Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipſe conſpicit.

*Ab amplitudine regni eius: quia eſt Dominus terræ, abſconditorum eius & montium.*

Quoniam

Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & aridam fundauerunt manus eius.

*Quia dominatur mari & omnibus in ipſo viuentibus ſubſtantijs.*

*Quia eſt conditor & conſeruator maris & terræ, ergo Deus omnipotens.*

Venite adoremus & procidamus ante Deum: ploremus coram DOMINO, qui fecit nos: quia ipſe eſt DOMINVS Deus noſter: nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.

*II. Propoſitio, tribuamus Chriſto diuinos honores & cultus inuocationis & petitionis auxilij ab ipſo.*

*Confirmatio, a facili, quia ipſe conditor noſter, quia vult & poteſt nos exaudire, quia Dominus, nos populus ex relatiuis. Ab officio Meßiæ, quia paſtor, & defenſor noſter.*

Hodie ſi vocem eius audieritis nolite obdurare corda veſtra: ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto: vbi tentauerunt me patres, probauerunt & viderunt opera mea.

*III. Propoſitio hortatoria. Audite Meßiam voce Euangelij clamantem & inuitantem vos ad ſe, vera fide verbum eius amplectimini.*

*Ratio a periculoſo, ab exemplo contrario Iſraelitarum: ne accidat id vobis quod Iſraelitis, qui in Meriba & Maſſa loco in deſerto murmurabant aduerſus me, tentauerunt me, dubitarunt de mea præſentia & voluntate nihilque meis permouebantur miraculis & beneficijs. Exodi 17.*

(b) Quadraginta annis proximus fui generationi huic: & dixi ſemper: ii (c) errant corde: ipſi vero non cognoue-

*Narratiuncula eſt: & ſermo tribuitur filio Dei. Narrat de duricie cordis & malicia populi Iſraelitici de ſtudio ſuo conuertendi eos, de iudi-*

runt vias meas: (d) quibus iuraui in ira mea, ſi (e) introibunt in requiem meam.

*cio ſuo, & querela de illo, & de pœna qua affectus eſt, vt nos triſti exemplo diſcamus ſapere & fidere Deo.*

*(b) iurgatus ſum cum hoc populo.*

*(c) ſæpe eos de ſuis peccatis, idolatria & libidinibus commoneſeci.*

*(d) impœnitentes comitatur pœna.*

*(e) non venient in terram promiſſam: non ſient ſocij vitæ æternæ & ſabbati æterni.*

Gloria patri & filio, &c.

# HYMNI, QVI IN PRAECIPVIS FESTIS ANNIVERSARIIS IN PIOrum congreſſibus canuntur.

## HYMNVS IN ADVENTV DOMINI,

*Eſt carmen Iambicum Dimetrum,*

AVTORE AMBROSIO.

*Hymnus eſt petitorius & encomiaſticus continens, precationem Eccleſiæ & diuinas Chriſti noſtri laudes. Eſt enim proprium hymnorum canere & celebrare laudem Dei.*

*Locus communis eſt, de aduentu Chriſti in carnem.*

VEni redemtor gentium,

*Exordium eſt εὐχὴκὸν, optat Eccleſia vt Meſſias*

Oſtende

Oſtende partum virginis,
Miretur omne ſeculum:
Talis decet(a) partus Deũ.

*promiſſus & diu cupide expectatus tandem veniat in carnem, & redimat Eccleſiam.*

*Naſcere ex virgine ad prædictionem, Eſaiæ 7. Iere. 31. hoc factum eſt anno mundi 3962.*

*Ab aliquo ſine miraculoſi partus, is eſt totius mundi admiratio, etiam angelorum Dei.*

*A decoro, ſic enim Meßiam Deum naſci oportuit & decuit, ex virgine nimirum.*

Non ex virili ſemine,
Sed myſtico ſpiramine
(b) Verbum Dei factum eſt caro,
(c) Fructusque ventris floruit.

*Narratio, quæ laudat Chriſtum a ſancta conceptione & incarnatione. Eſt enim arcano ſuperuenientis ſpiritus ſancti afflatu, & virtute altißimi conceptus in vtero virginis, Lucæ 1. Ideo ſemen mulieris, Geneſ. 3. & Silo Ge. 49.*

*(b) λόγος, filius Dei aſſumſit humanam naturam. Ioh. 1.*

*(c) Metaphorica locutio, Benedictus fructus ventris eius effloruit, Eſa. 11 Surculus de radicibus eius fructum gignet, id eſt, filius Dei naſcetur ex poſteritate David, Pſalm. 132.*

Aluus tumeſcit virginis:
Clauſtrum pudoris permanet: (d)
Vexilla virtutũ micant (e):
(f) Verſatur in tẽplo Deus.

*A ſigno conceptionis: Virgo gerit vterum. Laus virginis Mariæ.*

*(d) verecunda περίφρασις conſeruatæ virginitatis.*

*(e) multæ inſignes virtutes in ipſa virgine, in illa conceptione & partu, & filio conſpiciuntur.*

*(f) quia filius Dei fuit in vtero virginis concluſus, & in eo conceptus creuit tanquam in ſuo templo.*

Procedẽs de thalamo ſuo,
Pudoris aula regia,
Geminæ Gigas ſubſtantiæ,
Alacris vt currat viam.

*Laudat a natiuitatis, naturæ & officij præſtantia.*

*Naſcebatur & prodibat in hanc lucem ex virgine re.*

*gine regia, & quaſi ex caſto virginis thalamo. ex Pſal. 19.*

*Verus Deus & homo eſt Gigas inuictus. Schilo, id eſt, fortunatus cui omnia cedunt, Eſa. 9. Geneſ. 49. Victor diaboli, peccati, mundi, & fortis liberator atque defenſor Eccleſiæ.*

*Magna eſt promptitudine ad conficiendum curſum & faciendum officium reparandæ ſalutis humano generi, & redeundi ad patrem.*

Egreſſus eius a patre,
Regreſſus eius ad patrem,
Excurſus vſq; ad inferos,
Recurſus ad ſedem Dei.

*A diuinitate, miſſione, paſſione, victoria, & glorioſa aſcenſione ad patrem, laus a rebus geſtis.*

*Exiuit a Deo patre, & miſſus, venit in mundum, Ioan. 13. 16. Rediјt ad patrem per paſſionem, mortem, reſurrectionem & aſcenſum.*

*Deſcendit ad inferos ad eripiendos nos ex anguſtijs inferni, & ad Satanam opprimendum.*

*Sedet nunc ad dexteram patris euectus ad gloriam & maieſtatem quam cum patre rex æternus communem habet, Epheſ. 1. Lucæ 1.*

*Poteſt quoque verſus intelligi de Chriſti æternitate, diuinitate, omnipræſentia & infinita maieſtate, Mich. 5.*

Aequalis æterno patri,
Carnis tropheo accingere,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpetim.

*Precatione concludit. Qui es Deo patri æqualis maieſtate & dignitate, ipſi ὁμοούσιος, a facili.*

*Indue carnem humanam, vt in ea vincas hoſtes noſtros, & glorioſa trophæa ponas.*

*Confirma, ſalua, ſana & conſerua nos ſemper, a neceſſario, quia magna eſt noſtra carnis infirmitas, ne ſub ea ſuccumbamus, a facili & cauſa efficiente, quia virtute diuina potes.*

Præſepe iam fulget tuum,
Lumenq; nox ſpirat nouũ,
Quod nulla nox interpolet *,
Fide quod iugi luceat.

*Laudat a præſepis ſplendore, ſed Synecdochicos intelligit nobilitatem natiuitatis Chriſti. Poteſt quoque intelligi ſcriptura habens promiſſiones de Chriſto. Noua lux exoritur, nempe Euangelij prædicatio*

*doctrina*

*doctrina de remiſſione peccati .i. agnitio Dei, & vera colendi Dei ratio, cum antea eſſent perpetuæ tenebræ, ignorantia Dei, incredulitas, cæcitas, ſed hæc nunc luci exortæ non nocent, & hæc lux vera fide accepta lucet nobis in vitam.*

* *obſcuret.*

Deo patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli filio,
Cum ſpiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum.

*Clauſula doxologica tribuens Trinitati perpetuam gloriam & honorem. Cum gratiarum actione.*

## HYMNVS AD NOCTVRNVM ECCLESIAE,

### *Carmen Iambicum, Dimetrum, Archilochicum.*

*Petitorius eſt. Precatio eſt Eccleſiæ, vt Chriſtus donet ipſam agnitione ſui, accendat amorem ſui in ipſa, & non puniat eam ſecundum peccata, ſed faciat ſociam vitæ cæleſtis.*

VErbum ſupernum prodiens, (a)
A patre olim exiens, (b)
(c) Qui nat⁹ orbi ſubuenis,
(d) Curſu decliui tẽporis.

*Orditur hymnum argumento a facili & a fine aduentus eius. Quia filius Dei es, & natus homo, vt mundi ſis ſaluator.*

*(a) λόγε ſumme, qui te ex arcana ſede patris demiſiſti, & pateſeciſti te Eccleſiæ.*

*(b) A diuinitate & peculiari proprietate perſonæ Chriſti: quia eſt ab æterno genitus a patre, vel ab officio, exiuit a patre miſſus in mundum, Pſal. 2. Ioan. 13.*

*(c) A fine natiuitatis eius, vt orbi ruenti ad interitum ſuccurrat ſatisfactione ſua, & ipſum ſaluet, ſignificantur vero homines per ſynecdochen.*

*(d) Circumſtantia temporis in hac mundi vltima ſenecta, & declinante ad finem.*

Illumina

Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema,
Audito vt preconio,
Sint pulſa tandem lubrica.

*Propoſitio petitionis: Da vt vere agnoſcamus te, vera fide tibi adhæreamus: accende in nobis ardentem tui dilectionem.*

*Ratio ab vtili fine, vt audita Euangelij voce a credentibus nobis tollantur peccata, id eſt, remittantur ne ſub illis periclitemur, cadamus & pereamus.*

Iudexque cum poſt aderis
Rimari facta pectoris,
Reddens vicem pro abditis
Iuſtiſque regnū pro bonis.

*Cum nouiſſimo die ad iudicium venies. Vt quæras & patefacias omnia arcana in pectore latentia, & alia occulta. Pro occultis etiam delictis inſtigas pœnam impijs & iuſtis, id eſt, per te iuſtificatis dones regnum æternum loco ſummi boni.*

Nō demū arctemur malis,
Pro qualitate criminis,
Sed cum beatis compotes,
Simus perennes cælites.

*Alia petitio ne in vltimo iudicio aut cruciet nos, ſecundum magnitudinem peccatorum noſtrorum, ſed remiſſis illis ducat nos in conſuetudinem beatorum perpetuo in cœlo viuentium. Quidam habent cœlibes.*

## AD LAVDES.

### *Iambicum, Dimetrum.*

*Carmen eſt exhortatorium. Hortatur Eccleſia omnes, vt in hac luce Euangelij, de Chriſti aduentu & vſu ſonantis, excitentur, agnoſcant ſuæ delicta, deplorent ea & propter Chriſtum petant eorum condonationem, ne in vltimo iudicio triſti ſententia damnentur & puniantur.*

*Loci communes ſunt. De aduentu Chriſti. De vſu Euangelij. De pœnitentia.*

Vox

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0080-0

VOx clara ecce intonat:
Obſcura quæq; increpat:
Pellantur eminus ſomnia:
Ab æthere Chriſtus promicat.

*Propoſitio πρὸς ἐξοπῆς. expergiſcamur e ſomno, Rom. 13. ſimus impigri accenſis animis & prompti, expulſa ſecuritate & deſidia.*

*Ratio ab oportuno, quia citius opinione auditur vox Euangelij: cuius effectus eſt: tollit cæcitatem, ignorantiam Dei, abigit tenebras, affert lucem & noticiam voluntatis Dei.*

*Alia ratio, ab obiecto Euangelij, hoc enim nunciat nobis de cælo datum & natum eſſe Chriſtum ſaluatorem: hunc amplectamur.*

Mens iã reſurgat torpida,
Quæ ſorde extat ſaucia:
Sidus refulget iam nouum,
Vt tollat omne noxium.

*Repetitur propoſitio per expolitionem.*

*Excitetur mens noſtra, quæ nimis pigra, ſecura & negligens Dei eſt.*

*A neceſſario, & a cauſa, quia eſt morſibus peccatorum læſa, ſordibus contaminata, indiget medico.*

*Prior Ætiologia. Quia nunc Chriſtus Ieſus tanquam nouum & ſalutare ſidus nobis exoritur, nobis miſſus exhibetur. A cauſa finali vel vſu, vt tollat, auferat peccata noſtra, quæ nos dant exitio æterno ſi in illis manemus.*

E ſurſum agnus mittitur,
Laxare gratis debitum:
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cum lachrymis.

*Ab vſu aduentus Chriſti in mundum: Is enim e cælo miſſus eſt a patre, vt tanquam agnus mactetur, & offerat ſeipſum pro peccatis mundi: ſit λύτρον pro illis, & gratuitam debitorum liberationem afferat.*

*Deploremus ergo agnita peccata noſtra, & ſupplice voce oremus deum patrem, vt ea nobis propter illum agnum eiuſque ſatisfactionem benigniter condonet.*

Secũdo vt cum fulſerit, (a)
Mundũq; horror cinxerit, (b)

*Ab vtili fine pænitentiæ, quia Deus in hac vita*

Non

Non pro reatu puniat, (c)
Sed nos pius tum ꝓtegat.

*in tempore agentes pœnitentiam in vltimo iudicio non punit, ſed vita æterna donat.*

*(a) vt iterum venerit adiudicium vltimum in gloria.*

*(b) propter mala quæ præcedent diem nouiſſimum, & in eundem incident, Matth. 24. Lucæ 21.*

*(c) non condemnet nos reos & iræ iudicioque obnoxios: ſed nos receptos in gratiam & iuſtificatos pro ſua benignitate defendat & ſeruet, contra peccati, mortis & inferni vim, & in æterna gaudia transferat.*

## AD VESPERAS HYMNVS,

### *Carmen Iambicum, Archilochicum,*

AMBROSIO AVTORE.

*Petitorius eſt. Eſt oratio Eccleſiæ, vt Chriſtus ſeruator mundi, factus homo & Deus omnipotens ipſam contra tyrannidem hoſtium eius ſpiritualium tueatur & defendat. eſt quoque inſertum encomium Chriſti.*

*Loci communes ſunt. De Chriſti humanitate, officio, diuinitate & omnipotentia.*

*Enthymema. Tu veniſti Deus & homo ad nos ſaluandos. Ergo, exaudi nos, ſuſcipe noſtri curam & defenſionem.*

Conditor alme ſiderum,
Aeterna lux credentiũ,
Chriſte redemptor omniũ,
Exaudi preces ſupplicum.

*Exordium eſt continens propoſitionem: Chriſte exaudi nos orantes.*

*Confirmatio habet locos a facili, quia es omnipotens creator cœli & terræ.*

*Ab honeſto, quia a te ſolo in fide habemus noticiam Dei, ſalutem, & vitam æternam.*

*Ab officio, quia veniſti redemptor vt ſolueres pro nobis lytra.*

Qui

Qui condolens interitu
Mortis perire ſeculum,
Saluaſti mūdum languidū.
Donans reis remedium.

*Ab honeſto, a beneficio liberationis & ſaluationis.*

*A cauſa impulſiua & finali, quia motus miſericordia noluiſti fieri vniuerſalem interitum hominum peccatorum, ideo veniſti ad ſeruandum mundum propter peccata languidum & ruentem in exitium, & reos, id eſt, damnatos & abiectos coram Deo, gratuita bonitate ſanaſti, donaſti remiſsione peccatorum, iuſticia & vita æterna.*

Vrgente mundi veſpere,
Vti ſponſus de thalamo,
Egreſſus honeſtiſſima,
Virginis matris clauſula.

*Narratiuncula eſt. Quia in vltima ætate mundi natus es homo ex caſtiſsima matre virgine. Pingitur illuſtris natiuitas eius pulchra collatione ex Pſalmo 19. Galat. 4. vbi venit plenitudo, &c. Zach. 14. In tempore veſpere erit lux, id eſt, Veniet Meſsias, reuelabitur Euangelium.*

Cuius forti potentiæ,
Genua curuantur omnia,
Cœleſtia, terreſtria,
Fatentur nutu ſubdita.

*Laudat a diuina potentia & maieſtate. Ab honore, qui ipſi habetur vt ſigno & teſtimonio. Nam omnia quæ in cœlis & terra viuunt, & ſunt, eius agnoſcunt imperium, ipſi obediunt, Philip. 2.*

*Locus a facili.*

Occaſum ſol cuſtodiens,
Luna pallorem retinens,
Candor in aſtris relucens,
Certos obſeruat limites.

*Probat omnipotentiam eius ex perpetuo certoque motu & luce luminarium atque aſtrorum. Sol conditus perpetuas vices ortus & occaſus ſeruat: Luna pallet, aſtra ſemper lucent, & ſuas metas retinent, Chriſto gubernante, ergo omnipotens.*

Te deprecamur hagie,
Venture iudex ſeculi,

*Concluſio, in qua petitio propoſitionis explicatur: ſerua nos contra*

Conſerua nos in tempore
Hoſtis a telo perfidi.

*inſidias, vim, inſultus, telaque diaboli, & quidem in hac vita, tu qui es ſanctus iudex omnium hominum venturus.*

Virtus, honor, laus & gloria,
Deo patri cum filio,
Sancto ſimul paracleto,
In ſempiterna ſecula.

*Clauſula vſitata, tribuatur æternæ Trinitati ſempiternus honor & gloria.*

## HYMNVS, QVI CANITVR IN DIE NATALI Domini.

### *Carmen eſt Iambicum, Archilochicum.*

Autor eſt C. SEDVLIVS, Presbyter.

*Encomiaſticus eſt & Euchariſticus. Celebratur in hoc admirandum opus incarnationis Chriſti, & naturarum duarum in ipſo vnionis, Vna cum conceptione, natiuitate & fortuna Chriſti.*

*Hinc loci communes noti ſunt.*

*Refertur ad articulos ſymboli: Conceptus de Spiritu ſancto. natus ex Maria virgine.*

A Solis ortus cardine,
Ad vſq; terræ limitẽ,
Chriſtum canamus principem,
Natum Maria virgine.

*Propoſitio eſt hortatoria. Laudibus extollatur Chriſtus Deus, & Mariæ filius, & quidem in toto orbe terrarum earumque finibus.*

Beatus autor ſeculi,
Seruile corpus induit,

*Ratio, quia is qui eſt conditor totius mundi.*

Vt carne

Vt carne carnem liberans,
Ne perderet quos condi-
dit.

*filius Dei, ſerui formam aſſumpſit, Philip. 2. & factus eſt homo.*

*Ab vſu aut fine incarnationis Chriſti, Quia noluit perire creaturam ſuam, ſed ipſe paſſus & mortuus eſt carne, 1. Pet. 4. vt expiaret peccata carnis, id eſt, humani generis & illud ab æterna damnatione liberaret.*

Caſtæ parentis viſcera
Cœleſtis intrat gratia,
Venter puellæ baiulat
Secreta quæ non nouerat.

*Narratio eſt de conceptione Chriſti. Quia cœleſtis gratia, id eſt, filius Dei, cuius eſt periphraſis concipitur in vtero matris virginis intactæ a viro: & venter virginis gerit ſecretum pignus ignotum mundo, id eſt, filium Dei occulta ratione ſe in ventrem matris demittentem & aſſumentem naturam humanam.*

Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei:
Intacta neſciens virum,
Verbo concepit filium.

*Expolitio eſt conceptionis Chriſti puræ & ſanctæ. Pudica & caſta virgo fit templum & mater Dei: qui in eius vtero tanquam in templo habitat, concipitur, augetur, fouetur.*

*Modus & cauſa efficiens. Quia in verbo angelico virtute ſpiritus ſancti credens concipit citra viri opem, vt ipſa virgo dixit.*

Enixa eſt puerpera,
Quem Gabriel prędixerat
Quem matris aluo geſti-
ens,
Clauſus Ioannes ſenſerat.

*De natiuitate eius. Virgo iuxta prædictionem angeli concepit & peperit filium Ieſum, filium altiſſimi, Lucæ 1.*

*Ab agnitione & teſtimonio Ioannis, qui infans in vtero Elizabetæ ſubſilijt præ gaudio cum ipſam Maria ſalutaſſet.*

Fœno iacere pertulit,
Præſepe non abhorruit:

*De humiliatione & fortuna eius, 2. Corint. 8. Vilitas lectuli & alimen-*

Paruoque lacte paſtus eſt,
Per quem nec ales eſurit.

*ti ſigna ſunt veræ humanitatis eius.*

*Amplificatio per antitheſin. Voluit paſci lacte matris, is qui auiculas omnes, & quicquid viuit, alit.*

Gaudet chorus cœleſtium,
Et angeli canunt Deo:
Palamque fit paſtoribus,
Paſtor creator omnium.

*A congratulatione & teſtimonio angelorum, & exercitus cœleſtis, laudantium & celebrantium natiuitatem eius.*

*A paſtorum teſtimonio, quibus & annunciatus & viſus eſt in Bethlehem Chriſtus paſtor bonus & creator mundi, Ioan. 10. Ezech. 34.*

Summo parenti gloria,
Natoq; laus quã maxima,
Cum ſancto ſit ſpiramine,
Nunc & per omne ſeculum.

*Clauſula doxologica non eſt Sedulij.*

## ALIVS HYMNVS,

### *Eodem argumento, & genere carminis.*

AVTORE FORTVNATO.

*Diegeticus eſt, Narrationem & deſcriptionem natiuitatis Chriſti continens.*

*Locus communis. De natiuitate* SALVATORIS *noſtri.*

AGnoſcat omne ſeculum,
Veniſſe vitæ præmium,
Poſt hoſtis aſperi iugum,
Apparuit redemptio.

*Exordium monitorium: omnes homines in hoc ſeculo viuentes ſciant veniſſe in mundum eum, qui eſt datus precium pro vitæ æternæ redemptione: cum*

*ne: eum qui nos λύτρῳ ſui corporis redemit a iugo duro, damnatione & maledictione legis & inferni.*

Eſaias quæ cecinit,
Completa ſunt in virgine:
Annunciauit angelus,
Sanctus compleuit Spiritus.

*Narratio. Euenerunt ea, quæ vaticinatus eſt Eſaias de futuro partu virginis, cap. 7. Ex ea naſciturum eſſe ſaluatorem mundi, Lucæ 1. Hoc in virgine effecit ſuperueniens Spiritus ſanctus & virtus altiſſimi.*

Maria ventre concipit,
Verbi fidelis ſemine:
Quem totus orbis non capit,
Portant puellæ viſcera.

*De conceptione & ἐνσαρκώσει filij Dei, quæ fit in verbo Dei fide accepto tanquam ſemine prolifico: Beata quæ credidiſti, Lucæ 2. Dei filius qui eſt infinitus Deus, includitur intra virginis viſcera, fit homo, fœmina circumdat virum, Iere. 31.*

Radix Ieſſe iam floruit,
Et virgo fructum edidit:
Fœcūda partum protulit,
Et virgo mater permanet.

*Narrat de natiuitate miraculoſa Chriſti ex virgine matre, iuxta prædictionem, Eſaiæ c. 11.*

Præſepi imponi pertulit,
Qui lucis autor extitit:
Cum patre cœlos cōdidit,
Sub matre pannos induit.

*De fortuna & humili conditione eius. Eſt inuentus infans pannoſus, faſcijs inuolutus, poſitus in præſepi a matre, is qui eſt conditor cœli & autor vitæ omnium.*

Legem dedit qui ſeculo,
Cuius decem Præcepta ſunt,
Dignando factus eſt homo
Sub legis ipſe vinculo.

*Autor legis etiam moralis, natus homo factus eſt obnoxius legi, vt eos qui legi erant obnoxij, redimeret, Galat. 4. 3.*

Adam vetus quod polluit,
Adam nouus hoc abluit:
Tumens quod ille deiicit,
Humillimum hic erigit.

*Amplificat commodum natiuitatis Chriſti contentione. Confert primum & ſecundum, veterem & nouum Adamum inter ſe cum ſuis commodis aut incommodis.*

*Adam inobedientia ſua peccato contaminauit ſe & omnem poſteritatem, & reos morti reddidit.*

*Adam nouus, id eſt, Chriſtus ſanguine ſuo nos a peccatis abluit, reatum & damnationem ſuſtulit.*

*Ille ſtantes in innocentia coniecit in deſperationem ſua ſuperbia.*

*Hic deiectos ſua paßione erigit, conſolatur & ſaluat.*

Iam (a) nata lux eſt & (b) ſalus,
Fugata (c) nox & victa (d) mors:
Venite gentes credite,
Deum Maria protulit. (e)
Cum patre laus ſit filio,
Cum ſpiritu paracleto,
(f) Quo prægnans virgo mater eſt,
(g) Manet Deus qui naſcitur.

*Epilogus eſt, conſtans congerie commodorum per Chriſtum nobis partorum & allatorum, & exhortatione vt gentes credant in eum.*

*(a) noticia Dei, illuminatio, Euangelium, tempus gratiæ venit.*

*(b) quia is nos a peccatis ſaluat & dat vitam.*

*(c) ignoratio Dei, cæcitas, lex, tempus iræ.*

*(d) Abſorpſit mortem in victoria & vitam reſurgendo reparauit.*

*(e) genuit, ideo eſt* θεοτόκος.

*(f) ex Spiritu ſancto conceptus eſt Chriſtus.*

*(g) factus eſt quod non erat, manet quod erat.*

## DE NATIVITATE CHRISTI.

*Carmen eſt Trochaicum, Acatalecticum & Catalecticum alternatim currens, ſumptum ex hymno Prudentij, cuius eſt initium: Da puer plectrum.*

*Euchariſticum eſt. Exhortatur omnes, qui in cœlo & in terra viuunt, angelos & homines, vt lætis & gratis animis laudent Deum, pſallant ipſi, & canant ei hymnum pro beneficio miſsionis filij in carnem multis ſeculis ante promiſsi.*

*Loci communes. De natiuitate Chriſti. De diuinitate eius. De veritate promiſsionis diuinæ. De gratiarumactione.*

Corde natus ex parẽtis,
Ante mundi exordiũ,
Alpha & ω cognominatur,
Ipſe fons & clauſula,
Omniũ, quę ſunt, fuerunt,
Quæque poſt futura ſunt.

*Enthymema eſt per narrationem.*

*ANTECEDENS. filius Dei, eſt factus homo. Eſt vero ſubiecti deſcriptio, λόγος.*

*Is qui eſt genitus ab æterno a patre, coæternus patri, expreſſus character ſubſtantiæ eius.*

*Qui eſt initium & finis, autor & conſeruator omnium. Apocal. 1. 21. 22.*

τῶν παρόντων.

τῶν πρὸτ' ἐόντων.

τῶν ἐσσομένων.

Corporis formam caduci,
Membra morti obnoxia
Induit: ne gens periret,
Primoplaſti ex germine:
Merſerat quem lex profundo
Noxialis tartaro.

*Prædicati explicatio. Eſt factus caro, homo infirmus & mortalis, Schilo, non neceſsitate ſed voluntate.*

*Ab vtilitate eius aut officio, vt ſaluaret æternæ damnationi obnoxios: vt ab inte-*

*ab interitu vindicaret omnes, qui propter primi hominis peccatum execratione legis, inferno erant addicti, id eſt, cum ipſo Adamo rei coram Deo.*

O beatus ortus ille,
Virgo cum puerpera,
Edidit noſtram ſalutem,
Fœta ſancto Spiritu:
Et puer redemptor orbis,
Os ſacratum protulit.

*Amplificatio antecedentis, per deſcriptionem natiuitatis filij Dei, & exclamationem laudati ortus.*

*Quia noſter Saluator eſt natus ex virgine, virtute Spiritus ſancti, ipſam fœcundantis.*

*Puer natus eſt nobis, Eſaiæ cap. 9.*

*Redemptor mundi editus eſt in hanc lucem.*

Pſallat altitudo cœli:
Pſallant omnes angeli:
Quicquid eſt virtutis vſquam,
Pſallat in laudem Dei:
Nulla linguarum ſileſcat,
Vox & omnis conſonet.

*CONSEQVENS eſt, ergo laudemus & celebremus Deum. Amplificatur diſtributione.*

*1. In cœlis habitantes Prophetæ, Apoſtoli, Sancti Dei.*

*2. Angeli beati.*

*3. Omnes virtutes, poteſtates, quicquid vitam habet.*

*4. Omnes piorum linguæ in Eccleſia.*

*5. Omnes voces, ſermones, cantiones, inſtrumenta Muſica dicant & canant laudes Deo.*

Ecce quem vates vetuſtis,
Concinebant ſeculis,
Quem Prophetarũ fideles,
Paginæ ſpoponderant,
Emicat promiſſus olim,
Cuncta collaudent eum.

*Repetitio eſt & amplificatio Antecedentis.*

*Is, quem Patres & Prophetæ Dei ante multa ſecula vnanimi voce prædixerunt in Geneſi & Deuternomio.*

*Is, quem ſcripta Prophetarum nobis promiſerunt, Eſaiæ, Daniel & aliorum.*

*Is, qui voce diuina Meſſias eſt promiſſus, emicat, naſcitur, gloriam & maieſtatem ſuam patefacit nobis.*

Te ſenes

Te ſenes & te iuuentus,
Paruulorum te chorus,
Turba matrũ virginumq;,
Simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis,
Perſtrepant concentibus.

*Conſequens repetitur γενικὸν omnes laudent Deum, apoſtrophe eſt.*

*διαμερισμὸς omnium ætatum & ſexus vtriuſque homines concinant Deo grata.*

Chriſte ſit tibi cum patre,
Cum ſacroque pneumate,
Laus, hymnus, melos perenne,
Gratiarum & actio,
Virtutis decus, triumphus,
Regnum æternaliter,
Seculorum ſeculis.

*Concluſio hæc Euchariſtica, non eſt Prudentij ſed a quodam alio addita.*

*Hic eſt vltimus verſiculus Prudentij, quem Eccleſia in ſingulis verſibus canendis repetit.*

## IN EPIPHANIA DOMINI,

### *Hymnus Iambicus, Archilochicus, ex* SEDVLII *Hymno de Chriſti incarnatione & vita ſcripto.*

*Diegeticus eſt: continet narratiunculas de magis, infantulis occiſis, de baptiſmo & miraculis Chriſti, ad docendum ipſum verum hominem & Deum eſſe. His operibus Dominus vere apparuit, et ſe patefecit mundo. Unde feſtum ἐπιφανείας, id eſt, apparitionis Domini nomen habet.*

HErodes hoſtis impie,
Chriſtum venire quid
times?

*Exordium προσφωνητικὸν & ἐρωτηματικόν. Protaſis eſt: Fruſtra ti-*

Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœleſtia.

*mes ne adueniens Chriſtus tibi regnum adimat.*

*Ratio ex repugnantibus. Quia Chriſtus eſt rex ſpiritualis, ideo non arripit regnum mundanum: Ipſe donat regnum cœli, ergò non quærit regna mundi.*

Ibant Magi quam viderant
Stellam ſequentes præuiam:
(a) Lumen requirunt lumine, (b)
Deum fatentur (c) munere.

*Narratio, prima eſt de Magis, qui ſecuti ducem ſtellam, quam in oriente viderant, venerunt Bethlehem, Matth. 2. Locus de vocatione gentium.*

*(a) Chriſtum, qui eſt lux vera illuminans omnem hominem, Ioan. 1. Lucæ 2.*

*(b) Stella duce & monſtrante locum natalem.*

*(c) offerunt Chriſto Aurum, Thus, Myrrham, quibus ſignificant Chriſtum eſſe regem, Deum, & mortalem hominem.*

Caterua (a) matrum perſonat,
Colliſa deflens pignora,
Quorũ tyrannus millia, (b)
Chriſto ſacrauit victimã.

*Secunda, de infantulis bimulis necatis.*

*(a) auditur ploratus matrum propter occiſos liberos, Ieremiæ 31. Vox in Rhama audita eſt.*

*(b) certus numerus magnam multitudinem notat.*

*Ii, quaſi conſecrantur & offeruntur Chriſto.*

Lauacra puri gurgitis,
Cœleſtis agnus attigit:
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo ſuſtulit.

*Tertia, de baptiſmo Chriſti.*

*Baptizatus eſt in Iordane cum miniſterium ſuum exorſurus eſſet, Matthæi 3. Marci 1. Lucæ 3.*

*Vſus baptiſmi Chriſti voluit teſtatum facere ſe mergi in mortem noſtra cauſa, & abluere noſtra peccata ſuo ſanguine: ipſe enim non nouit peccatum, 1. Pet. 2.*

Miraculis dedit fidem,

*Quarta, de miraculis.*

Habere

Habere ſe Deum patrem:
Infirma ſanans corpora,
Reſuſcitans cadauera.

*Miracula Chriſti ſunt teſtimonia Diuinitatis Chriſti.*

*Sanatio infirmorum. tollit quoque morbos animi & peccata.*

*Quia eſt donator vitæ corporalis & æternæ.*

Nouum genus potentiæ,
(a) Aquæ rubeſcunt hydriæ,
(b) Vinumque iuſſa fundere,
Mutauit vnda originem (c).

*Miraculum de aqua in vinum optimum conuerſa in nuptijs in Cana. Ioan. 2. hoc eſt primum & nouum ſignum omnipotentiæ Chriſti.*

*(a) mutantur in vinum, eiuſque colorem recipiunt.*

*(b) aqua iuſſa a Chriſto dare vinum.*

*(c) ſuam naturam in vinum, in teſtimonium potentiæ diuinæ in Chriſto.*

Gloria tibi DOMINE,
Qui apparuiſti hodie,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſecula.

*Appendix vſitata non agnoſcit Sedulium autorem.*

## DOMINICA SEPTVAGESIMA, HYMNVS ECCLESIAE.

*Monitorius eſt. Monet vt hoc tempore agamus pœnitentiam, agnoſcamus & confiteamur peccata: petamus a Domino eorum veniam: renunciemus huic mundo, & quæramus cœleſtem patriam.*

*Loci communes. De pœnitentia. De vero ieiunio.*

DIes abſoluti prætereunt,

*Propoſitio eſt. In agnitione & dolore peccato-*

Deus

Dies obſeruabiles redeũt:
Tempus adeſt ſobrium,
Quæramus puro corde Dominum.

*rum puro corde rogemus Dominum, vt ea nobis remittat.*

*Ratio ab opportunitate temporis per collationem. Quia dies in quibus liberius viximus abierunt, dies ſobrie viuendi & ſeruandi veri ieiunij aſſunt.*

Hymnis & confeſſionibus,
Iudex complacabitur Dominus:
Non negat hic veniam,
Qui vult vt homo quærat gratiam.

*A facili & modo, quia humili confeßione peccatorum, & oratione petente veniam in fide, & inuocante celebranteque Deum, Dominus futurus Iudex, in hac vita placatur.*

*A voluntate & mandato eius, & a conſentaneis præcipit Dominus, vt agamus pœnitentiam, & petamus remißionem peccatorum gratuitam, ergo non vult nobis gratiam denegare.*

Poſt iugum ſeruile Pharaonis,
Poſt cathenas duræ Babylonis,
Liber homo patriam,
Quærat cœleſtem (a) Hieroſolymam.

*A facili, a decoro & a conſequentibus.*

*Erepti ſumus ex captiuitate & ſeruitute diaboli peccati, legis, mortis, & inferni, & liberi facti ſumus per Chriſtum, in nouitate ergo ſpiritus viuamus Deo, expetamus & agamus, quæ Deo grata ſunt.*

*Eductio Iſraelitarum ex Ægypto, & Iudæorum ex Babylonica captiuitate liberatio, ſunt typi ſpiritualis huius liberationis, quæ per Chriſtum nobis contigit.*

*(a) quærat regnum Dei & vitam æternam.*

Fugiamus de hoc exilio,
Habitemus cum Dei filio,
Hoc decus eſt famuli,
Si ſit cohæres ſui Domini.

*Expetamus migrationem ex hac vita, vbi exulamus & peregrinamur in cœlum, vt ſimus & viuamus cum Chriſto.*

*Ab vul-*

*Ab pulchro, quia magnum decus eſt nos ſeruos effici Domini cohæredes & regni eius poſſeſſores.*

Sis Chriſte nobis dux huius vitæ,
Memento quod ſumus oues tuæ,
Pro quibus ipſe tuam
Paſtor ponebas morte animam.

*Concludit precatione. Rege, duc & ſerua nos in hac vita.*

*Ratio, ab honeſto, a correlatiuis. Quia paſtor es noſter, nos oues, nos populus tuus. Quia tua morte redempti ſumus.*

*Ergo debes nobis tutelam, Pſal. 95. Ioan. 10.*

Gloria ſit Patri & Filio,
Sancto ſimul honor Paracleto,
Sicut erat pariter,
In principio & nunc & ſemper, Amen.

## DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA.

### *Carmen Iambicum, Archilochicum.*

AMBROSII.

*Mixtum eſt carmen, monitorium & petitorium. Monet de ſeruando ieiunio tempore Quadrageſimali, & in ſtatu ſinitiuo illud deſinit aut deſcribit. Petit quoque remiſſionem delictorum.*

*Locus communis. De vero ieiunio.*

EX more docti myſtico,
Seruemus hoc ieiunium,
Deno dierum circulo,
Ducto quater notiſſimo.

*Propoſitio: religioſe ſeruemus ieiunium, quod in quadrageſima pio more ſeruari ſolet, & de quo nos myſteria ſacra erudierunt.*

*περίφρασις eſt quadraginta dierum ieiunij Eccleſiæ.*

Lex &

Lex & Prophetę primitus,
Hoc protulerunt: poſtmodum
Chriſtus ſacrauit, omnium
Rex & factor temporum.

*Ratio ab honeſto. Laudat hoc ieiunium ab autorum præſtantia: facit Moſen, Eliam Prophetam & Chriſtum eius autores, tot enim ipſi dies ieiunarunt, Exod. 24. 3. Regum 19. Matth. 4. Quamuis hæc ieiunia ſunt inimitabilia: ſed poſſunt eſſe temperantiæ exempla miraculoſa, non delectus ciborum, & ſuos alios vſus habent. Et ieiunij quadrageſimalis alij alios autores ſtatuunt.*

Vtamur ergo parcius,
Verbis, cibis & potibus,
Somno, iocis, [a] vt arctius
Perſtemus in cuſtodia.

*Deſcribit ieiunium Chriſtianorum, quod eſt omnium temporum: & eſt temperantia in cibo & potu, moderatio ſomni & verecundia in verbis, per omnem vitam ſeruanda.*

*Ratio ab vtilitatibus, quæ ſequuntur: Prima ne propter crapulam, ebrietatem & vitæ turpitudinem a cuſtodibus angelis deſeramur.*

*(a) firmius in Dei & angelorum defenſione.*

Vitemus autem peſſima,
Quæ ſubruunt mentes vagas,
Nullumque demus callido
Hoſti locum tyrannidis,

*Secunda eſt, ne ruamus in maiora peccata, quæ comitari ſolent luxum & intemperantiam.*

*Ab eorum effectu: Tertia vtilitas, ne mentes a recto abducantur, euertantur & pereant. Quarta, vt inſidias diaboli eiuſque vim facilius vitemus, qui vt leo rugiens circumit, iuxta Petrum.*

Dicamus omnes cernui,
Clamemus atque ſinguli,
Ploremus ante iudicem,
Flectamus iram vindicem.

*Exhortatur nos ad pœnitentiam, quæ primum eſt propter agnita peccata contritio & deploratio eorum.*

*Deinde eſt in fide petitio veniæ gratis propter filium promiſſæ.*

*Deploremus delicta coram Deo, & ardenti oratione rogemus,*

*gemus, vt Deus iuſtus iudex remittat iram propter Chriſtum.*

Noſtris iam malis offendimus,
Tuam Deus clementiam,
Effunde nobis deſuper (b)
Remiſſor indulgentiam.

*Deprecatio eſt: confitemur peccata noſtra, & precamur vt Deus det nobis veniam, & remittat ea non propter noſtra merita, ſed propter ſuam clementiam. (b) de cœlo largiter indulge nobis, id eſt, remitte peccata, ne intres in iudicium cum ſeruo tuo.*

Memento quod ſimus tui,
Licet caduci plaſmatis,
Ne des honorem nominis
Tui precamur alteri.

*Ratio ab honeſto, quia ſumus tuum figmentum, tua creatura quamuis infirma, non ergo ſinas nos perire.*

*Alia ratio ab vtili: vt tuearis tuum honorem, qui eſt teſtimonium clementiæ & benignitatis, ne alij clementiores te eſſe putentur.*

Laxa malum quod geſſimus,
Auge bonum quod poſcimus,
Placere quo tandem tibi
Poſſimus hic & perpetim.

*Concludit eadem precatione. Remitte & condona nobis debita delictaque noſtra. Da & auge bona quæ petimus, iuſticiam, læticiam, Spiritum ſanctum, renouationem & vitam æternam.*

*A fine honeſto, vt omnis vita noſtra, omnia conſilia, ſtudia, & actiones tibi perpetuo probentur.*

## DOMINICA QVADRAGESIMA.

### *Carmen Iambicum, Dimetrum.*

*Eſt quoque Hymnus petitorius & deprecatorius.*
*Locus communis. De pœnitentia. De aliquo vſu veri ieiunij: prodeſt enim hoc ad ardentiorem inuocationem in pijs.*

Audi

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0097-9

AVdi benigne conditor
Noſtras preces cum fletibus,
In hoc ſacro ieiunio,
Fuſas quadragenario.

*Exordium eſt, cuius eſt protaſis vt Deus noſtras preces quas ſobrij & flentes fundimus exaudiat.*

Scrutator alme cordium,
Infirma tu ſcis virium,
Ad te reuerſus exhibe,
Remiſſionis gratiam.

*Propoſitio petitionis: Remitte nobis gratis delicta noſtra.*

*Confirmatio. In ſtatu aſſumptiuo, in conceſſione & purgatione: quia peccauimus ſed ex infirmitate, te ipſo teſte.*

Multum quidem peccauimus,
Tu parce confidentibus,
Ad nominis laudem tui,
Confer medelam languidis.

*A confeſſione, quæ eſt cum contritione coniuncta, prima pars pœnitentiæ.*

*Repetitur propoſitio. Parce nobis, noli agere nobiſcum ſecundum delicta noſtra.*

*Ab honeſto, ſecunda pars. Quia firma fiducia ad te confugimus & credimus te nobis propter promiſsionem tuam, & Mediatorem propitium fore.*

*Ab vtili, vt inde feras laudem miſericordiæ, & nomen tuum glorificetur.*

*A neceſſario, quia languefacti peccatis & deſtinati ad mortem tua indigemus medicina.*

Sic corpus extra conteri,
Dona per abſtinentiam,
Ieiunet vt mens ſobria,
A labe prorſus criminum.

*Alia eſt petitio. Effice in nobis vt caſtigemus corpus temperantia, vt Paulus ait, Caſtigo corpus meum, 1. Corint. 9.*

*A fine aliquo, vt mens ſobria vitet peccata, in quæ ruunt luxui dediti, & pia exercitia recte inſtituantur. Eſt quoque Origeni ieiunare a peccatis, vitijs, malitia, voluptatibus illicitis & luxu abſtinere.*

Præſta beata Trinitas,
Concede ſimplex vnitas,
Vt fructuoſa ſint tuis,
Ieiuniorum munera.

*Concludit petitione, vt ieiunia Chriſtianorum ſint ipſis ſalutaria.*

## HYMNVS QVADRAGESIMALIS.

### *Carmen Iambicum, Dimetrum.*

*Petitorius eſt Hymnus. Ituri cubitum inter orandum eum recitare aut canere ſolent. Petunt a Deo Chriſto placidam noctem tutam quietem, & defenſionem in omni vita contra vim atque inſidias diaboli.*

*Locus. De inuocatione Dei precatione veſpertina.*

CHriſte qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Luciſque lumen crederis,
Lumen beatum prędicans.

*Exordium habet deſcriptionem & encomium Chriſti ex eius officijs ad beneuolentiam captandam accommodatum, continenſque argumentum a facili.* *1. Chriſtus eſt lux, quia Euangelio & ſpiritu ſuo accendit in nobis lucem, id eſt, noticiam Dei, iuſticiam & vitam æternam.*

*2. Tollit ignorationem Dei, & efficit vt Deum videamus & agnoſcamus. Locutiones ſunt Metaphoricæ.*

*3. Eſt lumen verum de lumine, Deus de Deo, lumen patris, in quo videtur, cognoſcitur pater, eiuſque voluntas declaratur.*

*4. Eſt miſſus ſacerdos vt vel nomen patris manifeſtaret, patefaceret nobis ipſum verbo ſuo & beneficijs, vel ipſum Euangelium annunciaret, Eſa. 61.*

Precamur ſancte Domine,
Defende nos in hac nocte:
Sit nobis in te requies (a):

*Propoſitio precationis: Da vt te iuuante & tuente hac nocte totaque vi-*

Quietam noctem tribue. *ta quæ eſt plena tenebrarum tuti quieſcamus & ſimus. Eſt vero expolitione ornata.*
*(a) tranquilla & pacata conſcientia.*

Ne grauis ſomnus irruat,
Nec hoſtis nos ſurripiat,
Nec caro illi conſentiens,
Nos tibi reos ſtatuat.

*Amplificat petitionem diſtributione. Plura enim petit, quæ noctem reddunt quietam.*

*I. Ne ſinat nos moleſto ſomno premi: non horrendis & fœdis inſomnijs vexari, aut etiam morte opprimi.*

*II. Nihil hoſti diabolo in nos permittat, ſed conatus eius improbos reprimat.*

*III. Ut remotis prauis affectibus, turpibus cogitationibus & alijs peccatis carnis placide indormiamus, ne magis atque magis rei coram Deo reddamur.*

Oculi ſomnum capiant,
Cor ad te ſemper vigilet:
Dextera tua protegat,
Famulos, qui te diligunt.

*IIII. Ut dormientibus oculis, quieſcentibus externis membris, cor & mens noſtra Dei noticiam retineat, illum ſomniet & meditetur, cum minus externis obiectis impeditur.*

*Repetitur petitio protectionis & defenſionis diuinæ, cum argu: ab honeſto, quia ſerui tui, & tui amantes ſumus.*

Defenſor noſter aſpice,
Inſidiantes reprime,
Guberna tuos famulos
Quos ſanguine mercatus es.

*Repetitur petitio de reprimendis inſidijs diaboli & miniſtrorum eius.*

*Petitur gubernatio, ne quid indignum nobis & ingratum Deo admittamus. Ratio ab honeſto, Quia magno ab ipſo empti ſumus precioſo nimirum ſanguine & morte eius, 1. Pet. 1. ad Epheſ. 2.*

Memento noſtri Domine,
In graui iſto corpore,
Qui es defenſor animæ,
Adeſto nobis Domine.

*Rogamus ne obliuiſcatur noſtri Dominus. Ratio a neceſſario quia infirmam hanc & peccatricem maſſam circumſerimus*

*rimus ne ſub ea ſuccumbamus. A maiori, tuetur animam, Ergo corporis noſtri curam non abijciat.*

Deo patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli filio,
Cum Spiritu paracleto,
Et nunc & in perpetuum.

*Clauſula qua æternæ gloria tribuitur & gratiæ aguntur Trinitati.*

## HYMNVS ALIVS.

### *Carmen Iambicum.*

*In genere demonſtratiuo ieiunij commendationem continens.*

*Locus communis eſt de ieiunio Chriſtianorum non ſuperſtitioſo, quod delectum ciborum & certos dies requirit, ſed illo quod conſiſtit in temperantia & ſobrietate, quæ pijs ſemper eſt colenda, vel etiam in abſtinentia a cibis poßibili vel mandata, vel conſulto electa.*

CLarum decus ieiunii
Monſtratur orbi cœlitus:
Quod Chriſtus autor omnium,
Cibis dicauit abſtinens.

*Propoſitio. Aduenit tempus ieiunij, quod eſt in Eccleſia magnum decus.*

*Laudat ab autore Chriſto. Hæc Chriſti inedia miraculoſa eſt, quam imitari nemo poteſt. Eſt exemplum abſtinentiæ & ſobrietatis Chriſtianorum, Matth. 4.*

(a) Hoc Moyſes charus Deo,
Legiſque lator factus eſt:
Hoc Heliam per aëra,
Curru leuauit igneo.

*Ab exemplo Moſaico: Is fuit in monte 40. diebus & noctibus, & Deus mirabiliter eum ſuſtinuit, Exod. 24.*

*(a) ſuo exemplo inſtituit.*

*Ab exemplo Heliæ miraculoſo: ſed is ſublatus eſt in cœlum, non propter ieiunium hoc quod erat Dei miraculum, ſed vt eſſet*

*cum Henoch & Chriſto teſtu futuram eſſe vitam æternam, 3. Regum 19. & 4. Regum 2.*

Hinc Daniel myſteria,
Victor leonum viderat:
Per hoc amicus intimus,
Sponſi Ioannes claruit.

*Is expoſuit regi ſomnium de Monarchijs, Daniel 2. & inter leones ſeruatus eſt: quia credidit Deo, Daniel. 6. & verum ſeruauit ieiunium in vera fide & precibus.*

*Fuerunt in baptiſta vera pietas, agnitio & fides Chriſti, confeſſio, continentia & temperantia cum alijs virtutibus, quæ ipſum reddiderunt clarum diuinitus vocatum.*

Hæc nos ſequi dona Deus,
Exempla parſimoniæ:
Tu robur auge mentium,
Dans ſpiritale gaudium.

*Explicat de quo ieiunio loquatur, & quod velit ſeruari Eccleſia.*

*Deus vult aut iubet (eſt enim eclipſis) nos hæc dona & exempla temperantiæ & ſobrietatis ſequi.*

*Concludit precatione: Quia ſine ipſo nihil poſſumus maxime in rebus ſpiritualibus, Ioan. 15. Is ſolus inſtituit & confirmat mentes in bono, ad illud ducit: & ſolus nos beat lætitia ſpirituali.*

Præſta pater per filium,
Præſta per almum Spiritum,
Viuens per æuum triplici
Vnus Deus cognomine.

*Vnus Deus eſſentia, trinus in perſonis & nominibus.*

## ALIVS HYMNVS.

### *Carmen Iambicum, Archilochicum, Dimetrum.*

*Petitorius eſt. Orat Eccleſia, vt Deus ipſi pœnitentiam agenti condonet delicta commiſſa, & preſeruet eam a futuris.*

*Locus de pœnitentia. De petitione remiſſionis peccatorum.*

*Ieſu*

IEſu quadragenariæ,
Dicator abſtinentiæ:
Qui ob ſalutem mentium,
Hoc ſanxeras ieiunium.

*In exordio facit Chriſtum autorem ieiunij quadrageſimalis: Quia ad exemplum abſtinentiæ Chriſti, Eccleſia hoc ieiunium inſtituit: quamuis eſt aliqua in re diſſimilitudo.*

*Laudat ieiunium ab vſu aut finali cauſa: vt illo tempore homines ſobrij agant pœnitentiam, & propter Chriſti beneficia petant delictorum remiſſionem, ſalutem & vitam æternam.*

Quo Paradiſo redderes,
Seruata parſimonia,
Quos inde gaſtrimargiæ,
Huc illecebra depulit.

*Explicatio rationis ſalutis, quæ eſt, vt homines ſobrij vere credentes in filium, & inuocantes Deum in nomine eius reſtituantur paradiſo, id eſt, vitæ æternæ, vnde per inobedientiam in eſu pomi vetiti eiecti erant. Eſtque pulchra antitheſis.*

Adeſto nunc Eccleſiæ,
Adeſto pœnitentiæ,
Qua pro ſuis exceſſibus,
Orat profuſis precibus.

*Propoſitio eſt: remitte gratis Eccleſiæ tuæ peccata. Confirmationis ratio, quia agit pœnitentiam: agnoſcit enim peccata ſua, deplorat ea, & in fide petit condonationem. Eſtque pœnitentiæ deſcriptio.*

Tu (a) retroacta crimina,
Tua remitte gratia (b),
Et a futuris adhibe,
Cuſtodiam mitiſſime.

*(a) per omnem vitam commiſſa.*

*(b) gratis, propter miſericordiam & gratiam tuam, non propter eius merita.*

*Alia eſt petitio: Rege Eccleſiam iuſtificatam a te, & tuere ſpiritu tuo ne rurſus incidat in peccata & mala alia.*

Vt expiati annuis,
Ieiuniorum victimis,
Tendamus ad (c) Paſchalia,

*Concludit a cauſa finali, vt facta per Chriſti victimam peccatorum noſtrorum expiatione, & nos propter illam fide iuſtifi-*

Digne colenda gaudia.

*cati, hoc tempore ſanctas hoſtias ſobriæ piæque vitæ Deo offerentes, Paſcha Chriſtianorum lætis animis, & recte celebrare poßimus. Non eſt enim hic ſtatuendum peccata noſtra ieiunijs noſtris expiari.*

*(c) memoriam & celebrationem beneficiorum mortis & reſurrectionis Chriſti agni pro nobis mactati.*

## HYMNVS DE PASSIONE ET CRVCE CHRISTI.

### *Carmen eſt Iambicum, vt præcedens.*

FORTVNATI EPISCOPI.

*Eſt hymnus in genere demonſtratiuo, de laudibus crucis, cui affixus eſt Chriſtus Dei filius.*
*Idem eſt eius locus communis.*
*Refertur ad articulos de Paßione & morte Chriſti.*

VExilla regis prodeunt,
Fulget crucis myſterium,
Quo carne carnis conditor,
Suſpenſus eſt patibulo.

*In exordio proponit proferri & omnibus conſpiciendam exhiberi, & coram fulgere crucem Chriſti, tanquam regis ducis & victoris noſtri vexillum. Et tacite nos monet ad eam intuendam & honorandam, ſed ſine idolatria.*

*Laudat vero ab vſu: quia in ea Chriſtus Deus conditor humani generis carne ſua pependit & paſſus eſt.*

Confixa clauis viſcera
Tendens manus veſtigia,
Redemptionis gratia
Hoc immolatur hoſtia.

*Caro eius vt manus & pedes ſunt clauis affixi cruci.*

*Hoc patibulo confixa ſunt viſcera Dei.*

*Hoc extenſæ ſunt manus & illis* τύποι τῶν ἥλων.

*Hoc ligno oblatus eſt ipſe agnus & vera hoſtia. Finis, propter expiationem peccatorum noſtrorum & redemptionem humani generis.*

Quo

Quo vulneratus inſuper,
Mucrone diræ lanceæ,
Vt nos lauaret crimine
Manauit vnda ſanguine.

*In hoc ligno latus eius eſt confoſſum, vnde effluxit ſanguis & aqua, fons duorum ſacramentorum.*

*Vſus eſt, vt ablueret peccata, & mundaret nos credentes in ipſum ſanguine ſuo ab omnibus peccatis.*

Impleta ſunt quæ concinit
Dauid fidelis carmine,
Dicendo in nationibus,
Regnauit a ligno Deus.

*A teſtimonio aut vaticinio Dauidis, qui in Pſalmis cecinit Chriſtum inter gentes perpetuo regnaturum eſſe etiam poſt mortem crucis, Pſalm. 10. 46. 96. 97. & paſſim.*

Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno ſtipite,
Tam ſancta membra tangere.

*Laudat a pulchritudine & ſplendore, quem non ex ſe ſed a rege purpurato Chriſto habet, erat enim purpura regia veſtis.*

*A dignitate, quod hoc lignum hoc honore eſt dignatum, & ad hoc electum, vt ferret ſanctum Chriſti corpus.*

Beata cuius brachiis,
Secli pependit præmium,
Statera facta eſt corporis,
Prædamque tulit tartari.

*Beata eſt arbor: quia in eius ramis pependit is, qui factus eſt λύτρον precium redemptionis damnati mundi.*

*Quia ea appenſum eſt corpus Chriſti tanquam pecunia redemptoria, quæ appendi ſolebat.*

*Vſus. Quia Chriſtus vicit diabolum & infernum, & inde opimam prædam abſtulit, liberans inde genus humanum.*

O crux, aue ſpes vnica,
Hoc paſſionis tempore,
Auge piis iuſticiam,
Reiſque dona veniam.

*Concludit precatione. Inuocat Chriſtum crucifixum per Metonymiam.*

*Remitte nobis delicta noſtra, quia coram te rei ſumus. Da nobis & auge iuſticiam tuam, qua nos a pec-*

*catis abſoluis. Quia tu ſpes noſtra. Quia pij, id eſt, in te credimus.*

Te ſumma Deus trinitas,
Collaudat omnis ſpiritus,
Quos per crucis myſterium
Saluas, regis per ſecula.

*Omnes in hac terra viuentes, per paßionem & mortem Chriſti in fide ſaluati æternas gratias agunt Deo.*

# HYMNVS, QVI CANITVR DOMINICA PALMARVM, ſcriptus a THEODVLPHO EPISCOPO Aurelienſi.

## *Carmen Elegiacum.*

*Gratulatoriū eſt carmen, quo Eccleſia Chriſtum celebrat, qui olim regia pompa ingreſſus eſt in vrbem ſanctam, vt opus redemtionis humani generis ſubiret, & a multitudine honorifice acceptus eſt, nunc vero rex & victor æternus in cœlis, gubernat, regit & conſeruat Eccleſiam ſuam.*

*Loci communes ſunt. De gratiarum actione & honore qui Chriſto debetur. De agnoſcendo & celebrando rege Chriſto. De laudibus redemptoris noſtri. De aduentu eius ad paßionem. De victoria & regno eius.*

GLoria, laus & honor tibi ſit rex Chriſte redemtor,

*Propoſitio per προσφώνησιν.*

*Sit gloria tibi Chriſte, tribuatur tibi concordi voce Eccleſiæ teſtimonium, & laus ſapientiæ, potentiæ, iuſticiæ, & miſericordiæ.*

*Ratio ab honeſto, a beneficio eius & officio: quia redemptor es noſter.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0106-5

Cui puerile decus promſit Oſanna pium: *Ab exemplo puerorum agnoſcentium hunc regem: canentium ipſi Hoſanna, & precantium vt Deus huic regi aſsit, perque ipſum Eccleſiam ſaluet, Matth. 21. Pſal. 117.*

Iſraël tu rex, Dauidis & inclita proles, *Laudat eum a dignitate aut vitæ genere: quia eſt rex Iſraelis, Zach. 9. Eſa. 62. gubernator & defenſor Eccleſiæ ſuæ, & quidem rex ſpiritualis. A generis præſtantia, quia filius Dauidis regis ſecundum carnem natus ex eius poſteritate, Matth. 24. Rom. 1. Pſalm. 132.*

Nomine qui in Domini rex benedicte venis, *A legitima vocatione eius: quia venit decreto mandato & potentia diuina. Ab vſu aduentus, quia ipſe benedictus venit, vt benedictionem afferat, iuxta illud: in ſemine tuo benedicentur omnes gentes, Geneſ. 12. Pſal. 117.*

Cœtus in excelſis te laudat cœlitus omnis:
Et mortalis homo, cuncta creata ſimul. *Ab iis qui hunc regem laudibus celebrant, vt ſunt angeli in cœlis: homines in terris, & omnia creata & condita ab ipſo, vt: cœli enarrant gloriam eius, Pſalm. 19.*

Plebs Hebrea tibi cum palmis obuia venit:
Cum prece, voto, hymnis, aſſumus ecce tibi. *Collatione amplificat laudes eius. Populus occurrit venienti geſtans frondes palmarum & olearum: quo docet eum eſſe regem mortis victorem, & pacis æternæ autorem. Nos qui ſumus Eccleſia eius aſſumus ei precibus & votis: precamur vt ipſe nos regat & ſaluet: promiſſo ipſo exhibito, Deo gratias agimus, & beneficia eius commemoramus.*

Hi tibi paſſuro ſoluebant munia laudis: *Altera collatio: Eccleſiæ Hebræorum ipſum aduenientem, vt patere-*

Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.

*tur pro populo laudauit: nos ipſi victori & regnanti epinicion canimus.*

Hi placuere tibi: placeat deuotio noſtra,
Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.

*Concluſio eſt per precationem: ſit tibi grata & accepta hæc noſtra ſupplex confeſſio & nominis tui celebratio.*

*Ratio a minori: quia eorum qui te minus nouerunt confeſſio & honor placuit tibi.*

*Alia ratio ab habitibus animi, quia pius & miſericors: quia quicquid bene recteque fit in laudes tuas, probas.*

## DE PASSIONE DOMINI.

### *Carmen Trochaicum, Alcmanio, & Euripideo alternatim currens.*

### FORTVNATI EPISCOPI.

*Hymnus eſt Diegeticus, Ætiologicus, Encomiaſticus, & Petitorius.*

*Loci eius ſunt, de Natiuitate, de Paßione Chriſti, de vſu & cauſis eius, de laude crucis Chriſti.*

PAnge lingua glorioſi
Prælium certaminis:
Et ſuper crucis trophæo
Dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis
Immolatus vicerit.

*Exordium eſt grande, in quo proponit ſe deſcripturum & decantaturum certamen mortis, victoriam & triumphum Chriſti: ſed carmina de poſterioribus membris in hoc Hymno deſiderantur. Proponit vero per exhortationem.*

*Victoria & triumphus in reſurrectione & aſcenſione potiſſimum conſiſtunt.*

De parentis protoplaſti

*Narratio, exponens*

Fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis
Morſu in mortem corruit,
Ipſe lignum tunc notauit
Damna ligni vt ſolueret.

*cauſas impulſiuas & finalem electi ligni ad crucem. Motus miſericordia Deus conditor cum homo primus eſu pomi vetiti in damnationem & mortem incidiſſet, diuino conſilio notauit lignum, in quo pateretur Chriſtus: vt damna in ligno accepta, id eſt, ex arbore ſcientiæ boni & mali expiarentur & tollerentur per filium offerentem ſe Deo in ara crucis.*

Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret,
Et medelam ferret inde
Hoſtis vnde læſerat.

*A neceſſario ordine & modo reparandæ ſalutis amiſſæ.*

*Vt ea arte falleretur Satan mille artifex, qua humanum genus ipſe fefellerat.*

*Explicatio artis, vt lignum eſſet ſaluti ijs, quibus prius dolo diaboli idem fuerat exitio, id eſt, vt Chriſtus in cruce moriens auferret damnationem & mortem inuectam per Adami inobedientiam.*

Quando venit ergo ſacri
Plenitudo temporis,
Miſſus eſt ab arce Patris
Natus, orbis conditor,
Atque ventre virginali
Caro factus prodiit.

*De natiuitate Chriſti, ex Paulo ad Galat. 4. Completo tempore diuinitus conſtituto deſcendit filius Dei de cœlis, & ex virgine Maria natus eſt homo.*

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia
Membra pannis inuoluta,
Virgo mater alligat,
Et pedes, manuſque, crura
Stricta cingit faſcia.

*Narrat de infantia & fortuna eius ex Luca cap. 2. Mater inuoluit eum faſcijs & reclinauit in præſepi.*

*ὑποτύπωσις matris officioſe curantis infantulum.*

Luſtra

Luſtra ſex qui iam peracta
Tempus implens corporis,
Se volente natus, atq; huic
Paſſioni deditus,
Agnus in crucis leuatur
Immolandus ſtipite.

*Anno ætatis tricesimo ſubiuit miniſterium ſuum, & poſtea anno 33. paſſus eſt & in ligno crucis ſeipſum victimam obtulit Deo patri pro mundi peccatis. Ioan. 1. Apocal. 5. Exod. 12.*

Hic acetum, fel, arundo,
Sputa, claui, lancea,
Mite corpus perforatur,
Sanguis vnda profluit,
Terra, pontus, aſtra, mundus,
Quo lauantur flumine.

*Narratio de paßione: eſt congeries inſtrumentorum, quibus vexatus et excruciatus eſt Chriſtus.*

*Aceto ſitientem potarunt, Ioan. 19.*

*Bibit vinum felle mixtum, Matth. 27. Pſal. 68.*

*Arundine percuſſerunt caput eius, Matt. 27. Inſpuerunt in eum, Matt. eod. Marc. 15.*

*Clauis affixus eſt cruci. Thomæ monſtrauit typum clauorum, Ioan. 20.*

*Lancea latus eius confoſſum eſt, Ioan. 19. Effluxit ſanguis & aqua ex mortuo corpore, Ioan. ibid.*

*Hoc tantum ſanguine, hacque aqua Chriſti omnes homines in terra, mari, cœlo & mundo viuentes ſaluantur & mundantur a peccatis, ſi in ipſum credunt.*

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis:
Nulla ſylua talem profert
Fronde, flore, germine:
Dulce lignum, dulces clauos,
Dulce pondus ſuſtinet.

*Laus eſt crucis Chriſti, ex nobilitate & præſtantia arboris, quæ per contentionem commendatur.*

*Eſt enim omnium nobiliſſima:*

*Talis in nulla creſcit ſylua.*

*Eſt vero nobilis ex onere quod ſuſtinet: quia in ea paſſus & mortuus ſit redemptor humani generis.*

Flecte ramos arbor alta,

*Monitio eſt poetica*

Tenſa laxa viſcera
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit natiuitas,
Quo ſuperni membra regis,
Miti tendas ſtipite.

*per proſopopœiam. Monet vt arbor remittat ſuum rigorem & duriciem natiuam, & laxet ſe ne membra Chriſti regis Dei & hominis nimis inhumaniter intendat.*

*Petit Eccleſia, vt Chriſtus paßionis ſuæ fructus nobis benigniter communicet.*

Sola digna tu fuiſti,
Ferre ſecli præmium:
Atque portum præparare,
Nauta mundo naufrago
Quem ſacer cruor perunxit,
Fuſus agni corpore.

*Redit ad laudem dignitatis eius.*

*Tuliſti Chriſtum, qui eſt precium redemptionis: & eſt portus in quo mundus ob peccata naufragus conquieſcat, & ſaluus ſit. Saluatur vero dum aſperpitur ſanguine occiſi agni, hoc eſt vera fide eum mediatorem & redemptorem agnoſcit & apprehendit.*

Gloria & honor Deo,
Vſquequaque altiſſimo,
Vna Patri Filioque
Inclyto Paracleto
Cui laus & poteſtas
Per æterna ſecula.

*Hæc doxologica clauſula non eſt Fortunati: ab alijs enim alia cantur.*

## HYMNVS, QVI EST PARS LONGI CARMINIS PRVDENTII DE vita & geſtis Chriſti conſcripti: cuius initium eſt: Da puer plectrum.

*Diegeticus eſt. Exponitur in eo effectus & fructus paßionis Chriſti: is congruit cum promißione prima. ſemen mulieris conteret caput ſerpentis. Ge. 3.*

Vidit

Vidit anguis immolatam
Corporis ſacri hoſtiam:
Vidit, & fellis peruſti
Mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo
Colla fractus ſibilat.

*Fructus paſsionis Chriſti eſt: Is morte ſua deſtruxit opera diaboli, Ioh. 8. ademit diabolo venenum, ita vt in Chriſtum credentibus neque diabolus, neque peccatum, neque infernus aut mors nocere poßit: quia nulla nunc eſt condemnatio ijs, qui Chriſto ſunt inſiti, Rom. 8. & amiſit diabolus & mors aculeum ſuum, 1. Corinth. 15. Locutio eſt allegorica.*

*Tribuitur quoque diabolo affectus doloris propterea, quod per Chriſti victoriam omne ius damnandi homines amiſerit: quamuis adhuc ſibilat inſidians calcaneo Chriſti, Gen. 3.*

Quid tibi prophane ſerpens (a),
(c) Profuit rebus nouis
Plaſma primum perculiſſe (b)
Verſipelli aſtutia?
Diluit culpam recepto
Forma mortalis Deo.

*Expoſtulatio eſt per illuſionem.*

*(a) diabole.*

*(b) Primos parentes malitioſe & aſtute decepiſſe, vt mandatum Dei negligerent.*

*(c) quaſi dicat: nihil inde commodi auferes: nunc enim victore Chriſto de tuo regno eſt actum: & Deus factus homo omnem culpam expiauit, & nos vitæ reddidit.*

## IN COENA DOMINI HYMNVS.

### *Ode Iambica, Dimetra.*

*Ode eſt petitoria: Petit Eccleſia exauditionem & defenſionem. Continet quoque narrationem de natiuitate, paſsione & victoria Chriſti, cum earum fructuum expoſitione.*

Locus

*Locus præcipuus, de fructibus paßionis & reſurrectionis Chriſti.*

REx Chriſte factor omnium,
Redemptor & credentium,
Placare votis ſupplicum,
Te laudibus colentium.

*Propoſitio. Sis propitius, exaudi nos & iuua: Confirmationis ſemina ſunt.*

*A facili, quia Deus conditor.*

*A voluntate iuuandi, quia es redemptor.*

*A iuſto, quia nos te agnitum laudamus.*

Cuius benigna gratia
Crucis per alma vulnera,
Virtute ſoluit ardua
Primi parentis vincula.

*Confirmatio ab honeſto ex ſummo eius beneficio, & a maiori: Quia tu motus miſericordia ſola, paßione & morte, quam in cruce ſubiuiſti ſoluiſti vincula, in quæ propter primorum parentum inobedientiam eramus coniecti, & quibus conſtricti tenebamur, id eſt, ſuſtuliſti reatum, damnationem & mortem.*

Qui es creator ſiderum,
Tegmen ſubiſti carneum,
Dignatus hanc viliſſimam
Pati doloris formulam.

*Expoſitio rationis per narrationem. Quia tu qui Deus es carnem humanam induiſti, factus homo, & non dubitaſti acerbißimos dolores, & turpißimam mortem noſtri cauſa ſuſtinere. Ergo nos exaudi, Philip. 2. Gal. 3. Deuter. 21.*

Ligatus es, vt ſolueres
Mundi ruentis complices:
Per probra tergens crimina
Quæ mundus auxit plurima.

*Expoſitio fructuum paſſionis. Paſſus es te ligari, vt nos per te liberati a malis mundi in exitium propter communia peccata ruentis, in æternam libertatem aſſeramur. Nam quos filius Dei liberauit vere liberi ſunt, Ioan. 8. Rom. 6. Galat. 5.*

Contume-

*Contumelias, probra, conuicia pertuliſti, vt extergeres crimina noſtra, & nos a diaboli & mortis illuſionibus & vexationibus immunes reddas.*

Cruci Redemptor figeris,
Terram ſed omnem concutis:
Tradis potentem ſpiritum (a)
Nigreſcit atque ſeculum.

*Narrat duo ſigna omnipotentiæ & diuinatis Chriſti, quæ mortem eius in cruce ſtatim ſecuta ſunt. 1. Ingens terræmotus. 2. Cum expiraſſet facta eſt eclipſis ſolis miraculoſa totam terram obſcurans. (a) animam emittis, cuius deponendæ habes poteſtatem.*

Mox in paternæ gloriæ
Victor reſplendens culmine:
Cum ſpiritus munimine,
Defende nos Rex optime.

*De reſurrectione & aſcenſione: Quia poſt reſurrectionem & victoriam mortis receptus eſt in gloriam, in cœlum, ad dexteram Dei collocatus. Eſt quoque a facili.*

*Concludit precatione. Ergo virtute ſpiritus tui Rex ſumme ſalua, rege, tuere & defende Eccleſiam tuam, cuius nos membra ſumus.*

## ELEGIA, QVAE IN FESTO PASCHATIS CHRISTIANORVM CANItur, excerpta ex prolixo carmine LACTANTII de Dominica die Reſurrectionis.

*Elegia eſt Encomiaſtica, gratulatoria & triumphalis Eccleſiæ in laudem feſti diei Paſchatis & celebrationem glorioſæ reſurrectionis Chriſti.*

*Locus communis eſt. De fructibus victoriæ & reſurrectionis Chriſti.*

*Confirmatio articuli fidei: reſurrexit a mortuis.*

Salue

SAlue feſta dies toto venerabilis æuo,

*Propoſitio per piam προσφώνησιν & ἀσπασμὸν poëtico more.*

*Hæc dies anniuerſaria & feſta omni veneratione eſt celebranda.*

Qua Deus infernum vicit, & aſtra tenet.

*Confirmatio. & eſt argumentum a ſingulari facto ornante hunc diem.*

*Quia hoc die Chriſtus vicit diabolum, deſtruxit infernum: & poſtea poſt dies 40. triumphans, in cœlum, glorioſus victor, in gloriam, quam ante ab æterno habuit, etiam humanam naturam a ſe in vtero virginis aſſumptam, euexit, & ad dexteram Dei collocauit.*

Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediſſe ſuo.

*Laudat a fructu reſurrectionis: Nam bona omnia, quibus erant primi homines ornati, & omnes nos amiſeramus, ipſe hoc beneficio nobis reſtituit: & ſunt præcipua bona iuſticia & vita æterna.*

*Confirmat vero a teſtimonio rerum omnium in mundo hoc tempore renaſcentium, vt pluribus verſibus ipſe autor explicuit pulchra vſus diſtributione.*

Namque triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto,
Vndique fronde nemus, gramina flore fauent.

*Alius eſt fructus: quia ex morte, & inferno reuocatus eſt, & de ſublata morte infernique damnatione triumphat.*

*Illuſtrat a congratulatione rerum ex terra renaſcentium.*

Legibus inferni oppreſſis, ſuper aſtra meantem
Laudant rite Deum, lux, polus, arua, fretum.

*A collaudatione ſolis, lucis aëriæ, cœli, terræ & maris agnoſcentium hanc victoriam. Eſtque proſopopeia.*

*Is perruptis vinculis inferni, deſtructo eo non amplius tenetur a tyrannide diaboli, nobis quoque ex anguſtijs inferni ereptis, ſedet Dominus in cœlis.*

Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat
Dantque creatori cuncta creata precem.

*Amplificat per antitheſin, interfectus in cruce, nunc viuit, A conſequenti, regnat, ergo reſuſcitatus eſt.*

*A cultu inuocationis, qui Deo viuo debetur.*

Chriſte ſalus rerum bone conditor atque redemptor,
Vnica progenies ex Deitate patris,
Solue catenatas inferni carceris vmbras:
Et (a) reuoca ſurſum quicquid ad ima ruit (b).

*Concluſio per precationem.*

*Propoſitio: eripe animas noſtras ex vinculis & damnatione inferni, & reduc eas in æterna cœli gaudia.*

*Rationes a facili. Quia conditor noſter, quia Dei filius.*

*Ab honeſto, quia Saluator & Redemptor noſter.*

*(a) leuatos peccata.*

*(b) ſub onere peccati.*

## ALIVS HYMNVS PASCHALIS.

### *Iambicus, Dimeter.*

*Hymnus eſt hortatorius. Hortatur Eccleſiam ad feſtum Paſchatis digne celebrandum pijs cantionibus & ſobrijs precationibus.*

*Locus eſt de reſurrectione Chriſti eiuſque fructibus.*

CHorus nouæ Hieruſalem,
Noua meli dulcedine
Promat, colens cum ſobriis
Paſchale Feſtum gaudiis.

*Propoſitio, noua Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia Dei, ſuauibus cantionibus & lætis animis veri Paſchatis, immolationis & reſurrectionis Chriſti memoriam recolat.*

Quo

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Quo Chriſtus inuictus leo
Dracone ſurgens obruto,
Dum voce viua perſonat,
A morte functos excitat.

*Ratio a memorabili facto: quia hoc die Chriſtus leo de tribu Iuda, Apocal. 5. oppreſſo diabolo, qui eſt Draco ruſſus, Apocal. 12. deuictaque morte & peccato per mortem reſurrexit: cuius memoriam celebrare, eſt feſtum Paſchatis diem agere.*

*A fructu reſurrectionis: quia per ipſum, & ex morte æterna credentes voci Euangelij eripimur, & ſuo tempore reſurgemus, vt cum ipſo in vitam ingrediamur. Nam is dicitur primitiæ mortuorum, 1. Corinth. 15.*

Quam deuorarat improbus
Prædam refudit tartarus:
Captiuitate libera
Ieſum ſequuntur agmina.

*Ab effectu aut fructu paßionis & victoriæ eius amplificatio: quia humanum genus addictum tartaro æternæque damnationi in libertatem perpetuam aſſeruit. Hoc exornatur duplici colore aut pictura. fingitur enim tartarus hominem tanquam prædam abſorptum reuomere. Et fingitur Chriſtus incedere triumphator, & magnam turbam ex ſeruitute liberatorum ſecum trahere.*

Triumphat ille ſplendide:
Et dignus amplitudine
Soli polique patriam
Vnam facit Rempublicam.

*A ſigno & fructu aliæ victoriæ. Quia triumphat magnifice: ergo victor euaſit.*

*Ab actu & officio victoris pacatam conſtituit Rempublicam: vnam nunc facit Eccleſiam in terra & in cœlo, quæ eſt vera patria. Sed habet eam in terra militantem: in cœlo triumphantem.*

Ipſum canendo ſupplices
Regem precemur milites
Vt in ſuo clariſſimo
Nos ordinet palatio.

*Concluſio hortatoria: Quare rogemus cœleſtem regem, vt nos in hac vita recipiat in Eccleſiam militantem, in ea nos regat & ſeruet: poſtea vero æterni regni ſocios & cohæredes efficiat. Metaphoræ ſunt militares.*

Per ſecla metæ neſcia,
Patri ſupremo gloria,
Honorque ſit cum Filio,
Et Spiritu paracleto.

*Canantur æternæ Trinitati, æterna laus & gloria.*

## ALIVS HYMNVS, COMPOSITVS AD EXEMPLVM,

### *Iambici Carminis, ſed Ametri.*

*Euchariſticus eſt, in quo commemorantur beneficia & commoda nobis paßione, morte, & reſuſcitatione Chriſti parta.*

*Eſt ergo Locus. De gratiarumactione. De Cœna Domini. De commodis paßionis & reſurrectionis Ieſu Chriſti.*

AD cœnam agni prouidi,
Et ſtolis albis candidi,
Poſt tranſitum maris rubri,
Chriſto canamus principi.

*Propoſitio inuitatoriæ: canamus Hymnum Deo noſtro.*

*Confirmatio. 1. Ratio ab honeſto: quia in ſacra cœna paſti ſumus carne & ſanguine agni pro nobis mactati.*

*2. Quia in ſacro baptiſmo ſumus a Deo recepti. Abluti a peccatis & candidis ſtolis innocentiæ tecti. Eſt enim tranſitus per mare rubrum imago baptiſmi, 1. Corinth. 10. & mundans nos lauacro aquæ in verbo vitæ.*

Cuius corpus ſanctiſſimum
In ara crucis torridum(a),
Cruore eius roſeo
Guſtando viuimus Deo.

*Exegeſis eſt rationis prioris, cum effectu eius. Quia eſu corporis & potu ſanguinis Chriſti effecti ſumus membra eius, & viuimus Deo, habentes remißionem peccatorum & vitam, Ioan. 6. Niſi carnem meam comederitis, &c. Ergo canamus.*

*(a) aſſatum & arefactum in cruce igne iræ Dei; vt ipſe ait: aruit ſicut teſta virtus mea, Pſal. 22. & Pſal. 101.*

Protecti Paſchæ veſperæ
A deuaſtante angelo,
Erepti de duriſſimo
Pharaonis imperio.

*3. Ratio ab honeſto ex duplici eius beneficio. Primo, quia tempore iræ ſuæ pepercit nobis, qui ſumus tincti ſanguine filij eius, & protexit nos. Secundo, quia eripuit nos ex regno diaboli, peccati & mundi, & in libertatem aſſeruit.*

*Allegoria eſt hiſtoriæ, tranſitus Dei per Ægyptum, & eductionis Iſraelitarum ex Ægyptiaca ſeruitute, Exodi 12. & ſequentibus.*

Iam Paſcha noſtrum Chriſtus eſt,
Qui immolatus agnus eſt,
Sinceritatis azyma
Caro eius oblata eſt.

*4. Ratio ab alio beneficio: Quia Chriſtus, qui eſt noſtrum Paſcha, verus agnus ſalutaris paſchatis pro nobis mactatus eſt, 1. Corinth. 5. Et caro eius, innocens & carens omni peccato pro peccatis noſtris oblata eſt.*

O vere digna hoſtia,
Per quem fracta ſunt tartara,
Redempta plebs captiuata
Redit ad vitæ præmia.

*Exclamando laudat Chriſtum hoſtiam repetens propoſitionem & triplicem eius oblationis effectum attingens.*

*1. Quia deſtruxit infernum, oppreßit Diaboli tyrannidem. 2. Redemit ſuos, eduxit vinctos de lacu, liberauit eos, qui in vmbra mortis ſedebant, Lucæ 1. 3. Reddidit eis iuſticiam & vitam æternam, & quidem in ſanguine, obedientia, & ſatisfactione Chriſti, Zach. 9.*

Cum ſurgit Chriſtus tumulo,
Victor redit de baratro
Tyrannū trudens vinculo,
Et reſerans paradiſum.

*A fructibus reſurrectionis.*
*Victoria inferni.*
*Captiuitas diaboli.*
*Apertio paradiſi.*

Quæſumus autor omnium
In hoc Paſchali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuum defende populum.

*Concludit precatione ne ſinat Deus Eccleſiam ſuam in pericula, mortem & damnationem ruere.*

## ALIVS HYMNVS, QVI CANITVR TEMPORE Paſchali.

*Petitorius eſt. Petit Eccleſia defenſionem contra vim, impetum, & inſidias Diaboli, & hoſtium eius.*

*Refertur ad precationem: libera nos a malo.*

IEſu Redemptor ſeculi,
Verbum patris altiſſimi,
Lux lucis inuiſibilis,
Cuſtos tuorum peruigil.

Tu fabricator omnium,
Diſcretor atque temporum,
Labore feſſa corpora
Noctis quiete recreas.

*Exordium eſt Encomiaſticum, habens laudationem & deſcriptionem Chriſti filij Dei. Eſtque argumentum a facili ex omnipotentia & diuinitate & beneficijs eius.*

1. *Ab officio eius, quia miſſus redemptor mundi.*

2. *A diuinitate, quia λόγος æterni Dei æternus filius.*

3. *A diuinitate, quia autor lucis, lux inuiſibilis in ſua diuinitate, & æterna maieſtate. Nam Deum nemo vidit vnquam a priori, 1. Ioan. 4.*

4. *Ab officio, quia cuſtos & tutor Eccleſiæ.*

5. *A ſigno omnipotentiæ & æternitatis, quod eſt opus creationis omnium.*

6. *A ſigno ſapientiæ infinitæ, autor ordinis & diſtinctionis temporum & viciſſitudinis eorum.*

7. *A beneficio, quia ſic ordinauit omnia, vt ſit laborum & quietis viciſſitudo. Hic quoque eſt quibuſdam petitio.*

Te deprecamur ſupplices
Vt nos ab hoſte liberes,
Ne valeat ſeducere
Tuo redemptos ſanguine.

*Propoſitio. Precamur ne ſinas nos ab hoſte diabolo teneri et ſeduci, nec a te, a veritate verbi tui, & veris cultibus abduci, in inſcitiam, errores & idolatriam. Ratio ab honeſto. Quia tui ſumus, a te precioſo ſanguine tuo redempti: non ergo ſinas nos perire.*

Vt dum graui in hoc corpore,
Breui manemus tempore,
Sic caro noſtra dormiat
Vt mens ſoporem neſciat.

*Ab aliquo fine, vt dum hanc corporis maſſam breui vitæ curriculo circumferimus. Sic dormiamus & quieſcamus corpore, vt animus ad te ſemper vigilet, & tui nunquam obliuiſcatur.*

## ALIVS HYMNVS.

### *Carmine Saphico, Adonico compoſitus.*

*Carmen eſt quoque petitorium. Orat, vt Chriſtus nos hoc tempore regat & conſeruet, & efficiat vt politeuma noſtrum ſit in cælo, & ne rurſus incidamus in ea mala, quæ nos iterum in inferni damnationem detrudant.*

*Locus. De inuocatione Eccleſiæ. De reſurrectionis Chriſti fructu.*

VIta ſanctorum, decus angelorum,
Vita cunctorum pariter piorum,
Chriſte, qui mortis moriēs miniſtrum
Exuperaſti.

*Exordium a deſcriptionibus, beneficijs & reb. geſtis Chriſti: pertinet ad locum a facili. 1. Quia per ipſum viuunt, & vita æterna donantur, ſancti & pij omnes in eum credentes: Quia ipſe eſt vita, Ioan. 6. Ioan. 3.14. 2. Eſt ornamentum angelorum, vt conditor & Dominus, 1. Petri 1. 3. Is morte ſua vicit miniſtrum mortis, peccatum, legem, diabolum,*

*bolum, & quicquid mortis æternæ cauſam præbet: & reſtituit nobis vitam, Hebræ. 2. Geneſ. 3.*

Tu tuo lætos famulos trophæo,
Nunc in his ſerua placidis diebus,
In quibus ſanctum celebratur omnem
Paſcha per orbem.

*Propoſitio: Serua, tuere & rege nos. Rationes ab honeſto, quia tui ſumus miniſtri: Quia lætamur de tua victoria.*

*A temporis religione: Quia nunc per totum mundum Eccleſia feſtum Paſchatis tui celebrat.*

Paſcha quo victor rediens ab imo,
(a) Atq; cum multis aliis reſurgens,
Ipſe ſuſceptam ſuper alta (b) carnem
Aſtra leuaſti.

*Paſcha eſt triplex. Iudaicum, vel typicũ, agni typici mactatio: verum, Chriſti veri agni oblatio, & tranſitus a morte ad vitam: Chriſtianum, oblationis, reſurrectionis, & reliquorum beneficiorum Chriſti grata celebratio. Eſt vero hic Paſchatis deſcriptio: victoriæ, reſurrectionis & aſcenſionis notatio.*

*(a) qui apertis ſepulchris reſuſcitati ſunt, Matth. 27.*

*(b) naturam humanam aſſumptam.*

Nunc in excelſis Dominus refulgens,
Et (c) ſupra cœlos Deus eleuatus,
Inde venturus homo iudicatus,
Denuo iudex (d).

*Confeſſio lætantis Eccleſiæ de aſcenſione, ſeßione Chriſti ad dexteram Patris, & vltimo eius aduentu ad iudicium. (c) ad Epheſ. 4. Epheſ. 1. Phil. 2.*

*Auguſtinus. Iudicabit illa forma, quæ iudicata eſt: ſedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice.*

*(d) a Deo conſtitutus 2. Timoth. 4. Ioan. 5. Actor. 10. Hebræ. 12.*

Corda tu ſurſum modo noſtra tolle,
Quo patri dexter reſides in alto:

*Aliæ petitiões ſunt: effice vt*

Nec

Nec reſurgentes facias in ima
Præcipitari.

*quaramus & meditemur cœleſtia & æterna, Phil. 3. Ne ſinas nos reſurgentes, & ſpiritu viuificatos relabi in peccata, viuere iniuſticiæ & mori, Rom. 6. 8.*

Hoc pater tecum, hoc idem ſacratus
Præſtet, amborũ pie Chriſte (c) flatus
Cum quibus regnas Deus vnus omni
Iugiter æuo.

*Concluſio per piam optationem aut votum.*

*(c) Spiritus ab vtroque procedens.*

## DE ASCENSIONE DOMINI HYMNVS.

### *Carmine Aſclepiadeo & Gliconico ſcriptus.*

*Hymnus partim eſt gratulatorius, partim petitorius. Eccleſia enim gratulans læta mente deſcribit & celebrat magnificum triumphum aſcenſionis Chriſti victoris in cœlum, cum præcipuarum vtilitatum commemoratione: & petit defenſionem contra vim diaboli & damnationem.*

*Locus. De aſcenſione Chriſti.*

*Pertinet ad articulum fidei: aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris.*

FEſtum nunc celebre, magnaque gaudia
Compellũt animos carmina promere,
Cum Chriſtus ſoliũ ſcandit ad arduũ
Cœlorum pius arbiter.

*Propoſitio. Verſibus celebrabimus ſolenne feſtum aſcenſionis Domini. Deſcriptio feſti: eſt celebratio religioſa in Eccleſia eius diei, quo Chriſtus ſublatus eſt in cœlos, quorum*

*ipſe eſt præſes & dominus: & Deus fecit eum ſedere ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, &c. Epheſ. 1.*

Conſcendit iubilans, lętus ad æthera:
Sanctorum populus prædicat inclitũ:
Concinit pariter angelicus chorus.
Victoris boni gloriam.

*Narratio, aſcendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubæ, Pſal. 47. Aſcendit ad cœlos, vbi quidem Deus verbum ſemper fuit: ſed vbi verbum caro factum antea non ſedit, vt ait Ruffinus.*

*Congratulatio ſanctorum Dei in hac Pompa prædicantium ipſum regnum ſuum occupantem.*

*Congratulatio angelorum perpetuis Hymnis Chriſti victoris, & perpetuo regnantis gloriam & laudes decantantium, & nos ad idem faciendum inuitantium.*

Qui ſcandens ſuperos vincula vinxerat,
Donans terrigenis munera plurima,
(a) Diſtrictus rediet arbiter omnium
Qui mitis modo tranſiit.

*Prima vtilitas victoriæ Chriſti: aſcendit in altum: cœpit captiuitatem, id eſt, iuxta Auguſtinum vicit mortem, quæ illos captiuos tenebat, in quibus regnabat, vel homines, qui ſub diabolo captiui tenebantur, vel expoliatos, principatus & poteſtates, id eſt, dæmones oſtentauit palam, triumphans de illis per ſemetipſum, ad Coloſſ. 2.*

*Altera vtilitas: dona dedit hominibus & ſpiritum ſanctum, vide ad Epheſ. 4.*

*(a) abijt modo benignus Saluator, ſilens a iudicando: redibit ſeuerus iudex, & non ſilebit.*

Oramus Domine conditor inclite
Deuotos famulos reſpice, protege
Ne nos liuor edax dæmonis obruat
Demergat vel in inferos.

*Precatio, tuere & protege nos contra dæmonem.*

*Ab honeſto, quia creator & Dominus noſter.*

*A neceſſario, Diabolus hanc felicitatem nobis inuidens hoc*

*agit*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0124-4

*hoc agit, vt nos opprimat, & in æternam damnationem conijciat.*

Vt cum (b) flãmiuoma nube reuerteris
(c) Occulta hominum pandere, iudicans
Ne des ſupplicia horrida noxiis
Sed iuſtis bona præmia.

*Orat vt cum redierit ad iudicium benigniter agat cũ ſuis, qui quidem ſũnt obnoxij peccatis, ſed iuſti tamen, id eſt, per ipſum iuſtificati, iuſti pronunciati & patri æterno reconciliati. Eſt quoque antitheſis in verbis.*

*(b) quia ignis in conſpectu eius exardeſcet, Pſal. 50. 97. 2. Theſſal. 1. (c) Roma. 11.*

Præſta hoc genitor (c) optime maxime
Hoc tu nate Dei, & bone Spiritus,
Regnans perpetuo fulgida Trinitas
Per cuncta pie ſecula.

*Inuocatione Trinitatis concludit: Quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa. (c) beneficentiſsime & potentiſsime.*

## ALIVS.

### *Carmen Iambicum, Dimetrum.*

*Petitorius eſt. Includatur in hoc Enthymema. Chriſte immenſa & æterna tua in nos extant beneficia redemptionis & ſaluationis: Ergo, Nunc quoque parce nobis & æternæ conſuetudinis tuæ fac participes.*

*Locus. De meritis Chriſti. De inuocatione.*

IESV noſtra redemptio
Amor & deſiderium,
Deus creator omnium
Homo in fine temporum.

*Antecedens cuius eſt Subiectum, Ieſu, cuius deſcriptiones beneuolentiæ loco in fidei declarationem ſubiunguntur.*

*Ab officio, quia Redemptor noſter.*

*Ab obiecto, quia ipſe vnus a nobis vere eſt diligendus & Saluator*

*Saluator deſiderandus, expetendus. Ab actu omnipotentia, quia creator noſter.*

*Ab actu humiliationis, quia humanam carnem in vltima mundi ætate aſſumpſit.*

Quæ te vicit clementia?
Vt noſtra ferres crimina,
Crudelem mortem patiẽs,
Vt nos a morte tolleres.

*Prædicatum, hoc verſatur in commemoratione beneficiorum.*

*1. Eſt cauſa impulſiua quæ per interrogationem ex ſingulari admiratione natam proponitur. Cauſa eſt immenſa miſericordia, cum qua dilectio eſt coniuncta. Ioan. 3. 1. Ioan. 4. Epheſ. 2. & 5.*

*2. Eſt beneficium Redemptoris: ſuſtulit in ſe noſtra peccata, languores noſtros tulit, Eſa. 53. factus eſt peccatum, id eſt, victima pro noſtris peccatis, & in ſe pœnam deriuauit, Rom. 4. & peccata noſtra pertulit, 1. Pet. 2. 2. Corinth. 5.*

*3. Mortem ſuſtulit morte ſua, a morte æterna nos liberauit, eam abſorpſit in victoriam, 1. Corinth. 15. Oſeæ 13. reddidit vitam æternam, Ioan. 3.*

Inferni clauſtra penetrãs,
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili
Ad dextrã patris reſides.

*4. Eſt redemptio per ſanguinem eius, Epheſ. 1. Coloſſ. 1. Matth. 20. & deſtructio regni diaboli. Quia aboleuit eum per mortem, qui ho[illegible]mperium, id eſt, diabolum, Heb. 2.*

*5. Eſt victoria, vt nos per eum vincamus & regni occupatio, vt nos in idem regnum ex diaboli regno ereptos reducat.*

Ipſa te cogat pietas
Vt mala noſtra ſuperes
Parcendo, & voti compotes,
Nos tuo vultu ſaties.

*Conſequens complectens petiones.*

*1. Eſt cauſa impulſiua ſimilis, mouearis ergo amore & innata clementia.*

*2. Parce peccatis, ne punias nos ſecundum delicta noſtra. 3. Da vt quod maxime optamus, videamus te de facie ad faciem, oſtendas te nobis immediate, & tuo conſpectu fruamur, quando eris omnia in omnibus, 1. ad Corinth. 13. 1. Corinth. 15. Quia ſacietas gau-*

diorum

*diorum in conſpectu eius ſatiabor cum euigilauero, Pſal. 17. Hebræos 4.*

Tu eſto noſtrum gaudium
Qui es futurus præmiũ (a),
Noſtra in te ſit gloria,
Per cuncta ſemper ſecula.

*4. Tu viuifica nos, & effunde in nos tuam lucem, ſapientiam, laticiam & iuſticiam.*

*(a) Cum te totum nobis oſtendes, & dabis in altera vita, vt merces noſtra, Geneſ. 15.*

*5. Sis noſtra gloria, gloriemur in tua iuſticia, cum alias nobis debeatur confuſio faciei, Daniel. 9.*

## HYMNVS, QVI CANITVR IN PENTECOSTE CHRIſtianorum.

### *Carmen Iambicum, Dimetrum.*

*Hymnus partim eſt Petitorius, partim Encomiaſticus. Eſt enim ardens Eccleſiæ ad Spiritum ſanctum precatio, plures continens προσευχὰς, quibus inſertæ ſunt eiuſdem laudatoriæ deſcriptiones.*

*Loci communes ſunt. De inuocatione Spiritus ſancti veri Dei cum patre & filio. De donis, effectibus, proprietatibus & officijs Spiritus ſancti in Eccleſia.*

VEni creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ tu creaſti pectora:

*Prima & generalis inuocantis Eccleſiæ petitio eſt: vt mentes piorum cœleſti gratia impleat, id eſt, donis cœleſtibus fide agnitione Dei, ſpe, caritate, timore: det nobis Chriſtum cum ſuis bonis: efficiat vt gratiam in Chriſto oblatam percipiamus: det vt credamus nos eſſe in gratia, id eſt, acceptos Deo propter Chriſtum, Ioël. 2. Hebraos 10. Eſt Spiritus gratiæ: regeneret, viuificet, ſanctificet nos, Ioan. 3. 6.*

*Ratio prima a deſcriptione: Quia eſt Deus creator cœli & terræ, Gen. 1.*

*Altera ab effectu alio, quia ipſe noua in pijs formauit corda agnoſcentia & colentia Deum.*

Qui Paracletus diceris,
Donum Dei altiſſimi,
Fons viuus, ignis, caritas,
Et ſpiritalis vnctio.

*3. Laus ab officij nomine: Quia Paracletus afflictorum conſolator & aduocatus, Ioan. 14. 15.*

*4. Quia donatur per verbum & ſacramenta credentibus & petentibus, Luc. 11. Act. 3.*

*5. Fons viuus, vitæ autor, viuificans & viua dona effundens.*

*6. Eſt ignis, ab effectu vt accendat corda in fide, vel quia tanquam ignis ſordes noſtras expurgat.*

*7. Caritas, flamma amoris inter Patrem & Filium, & quo Pater & Filius Eccleſiam complectuntur.*

*8. Vnctio, docens & illuminans nos, & veros ſacerdotes reddens & obſignans, 1. Ioan. 2. 2. Corinth. 1.*

Tu ſeptiformis munere
Dextræ Dei tu digitus
Tu rite promiſſum Patris,
Sermone ditans guttura.

*9. Quia multa & varia ſunt eius dona mentis, intellectus, voluntatis, linguarum, Prophetiæ, Act. 2. 1. Cor. 12. 2. Pet. 1.*

*10. Eſt virtutis Dei adiutor in conuerſione & illuminatione noſtri, & victorijs ſpiritualibus.*

*11. Ab alio officio, doctrinam cœleſtem propagat voce & linguis miniſtrorum: & in ea, quæ eſt miniſterium ſpiritus, 2. Corinth. 3. eſt efficax.*

Accende lumen ſenſibus:
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpetim.

*Secunda petitio ſpecialis: Det intelligentiam verbi, ducat nos in veritatem, & doceat omnia ſcitu neceſſaria, Ioan. 14. Matth. 10. 1. Ioan. 2.*

*Tertia: excitet in nobis veram Dei & proximi dilectionem.*

*Quarta: conſoletur, confirmet mentem, det robur fidei, in confeſſione fortitudinem, in cruce tollerantiam, & in pugnis ſpiritualibus nos iuuet.*

Hoſtem repellas longius:

*Quinta: ne ſinat in nos graſſari diabolum.*

Pacemq; dones protinus:
Ductore ſic te præuio
Vitemus omne noxium.

*Sexta: det conſcientiam pacatam & in afflictione conſolationem.*

*Septima: ſit nobis dux ad vitanda quæ animæ & corpori obſunt.*

Per te ſciamus da patrem,
Noſcamus atque filium,
Te vtriuſque Spiritum
Credamus omni tempore.

*Poſtrema: doceat nos voluntatem patris, beneficia filij, & det vt vera fide totam Trinitatem apprehēdamus & ſaluemur.*

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paracleto,
Nobiſque mittat Filius,
Chariſma ſancti Spiritus.

*Concludit glorificatione Trinitatis, & petitione vt filius promiſſum Spiritum a patre nobis mittat, vt donum diuinum, Ioannis 15.*

## ORATIO AD DEVM SPIRITVM SANCTVM.

*Eſt quoque Eccleſiæ precatio plures petitiones complectens.*

*Loci communes. De Spiritu ſancto inuocando. De Spiritus ſancti donis & beneficijs.*

SAncti Spiritus aſſit nobis gratia

*Generalis eſt propoſitio & petitio.*

*Gratia enim Spiritus ſancti omnia eius dona comprehendit.*

Quæ corda noſtra ſibi faciat habitaculum

*Speciales petitiones, habitet in nobis & ſuo numine corda noſtra regat, Ioan. 14. 1. Corinth. 6. Epheſ. 2.*

Expulſis inde cunctis vitiis ſpiritualibus.

*Expellat vitia vt domicilium habeat mundum & ſanctum: vt ſunt dubitatio de Deo, diffidentia, ſecuritas & alia, & excitet pias cogitationes conſentientes voluntati eius.*

Spiritus alme illuſtrator hominum,
Horridas noſtræ mentis purga tenebras.

*Tolle caliginem, ignorationem Dei, da lucem & noticiam eius.*

Amator ſancte ſanctorum ſemper cogitatuum,

*Tibi enim probantur cogitationes piæ, congruentes verbo Dei.*

Infunde vnctionem tuam clemens noſtris ſenſibus.

*De veritate doce mentes noſtras: para eas vt tibi ſoli ſeruiant, & in ea nos confirma atque obſigna gratia tua ad vitam æternam, 1. Ioan. 2.*

Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus,

*Tu fide purificas corda, Actor. 15.*

Purifica noſtri oculum interioris hominis.

*Purifica cor a peccatis: munda mentem ab hypocriſi & falſis opinionibus.*

Vt videri ſupremus genitor poſſit a nobis,

*Cauſa, vt vere cognoſcat Deum, & credat in eum.*

Mundi cordis quem ſoli cernere poſſunt oculi.

*Beati mundo, id eſt, caſto corde: quoniam videbunt Deum, Matth. 5.*

Prophetas tu inſpiraſti, vt præconia
Chriſti tunc præcinerent inclita.

*A facili argumento, ex anteactis, vel operibus Spiritus ſancti omnipotentiæ diuinæ teſtimonijs.*

*Dignitas & veritas Prophetarum ab autore, 2. Pet. 1. 2. Timoth. cap. 3.*

Apoſtolos tu confortaſti, vti trophæũ Chriſti per totum mundum veherent.

*Ii accepto promiſſo Spiritu ſancto facti ſunt teſtes reſurrectionis & victoriæ Chriſti in toto orbe terrarum, Actor. 2.*

Quando machinam per

*Spiritus Domini foue-*

verbum

verbum ſuum fecit Deus cœli, terræ, marium, tu ſuper aquas foturus eas numen tuum (*b*) expandiſti Spiritus.

*bat aquas viuificans calore vitali, Gen. 1.*

*Spiritu oris eius omnis exercitus eorum, Pſal. 33.*

*(b) quaſi gallina incubans fouiſti ea.*

Tu animabus viuificandis aquas fœcundas.

*Ab alijs eius actibus & beneficijs.*

*Das vitam animantibus in aquis viuentibus. Poteſt quoque exponi de baptiſmo lauacro regenerationis & viuificationis.*

Tu aſpirando das ſpiritales eſſe homines.

*Vt offerant Deo hoſtias ſpirituales, 1. Pet. 2. Et habeant motus ſpirituales congruentes legi Dei.*

Tu diuiſum per linguas mundum & ritus adunaſti Domine.

*Efficis vnitatem fidei etiam inter eos qui linguis & ritibus variant, vt vno ore inuocetur Deus, ad Ep. 4. Actor. 2.*

Idolatras ad cultum Dei reuocas magiſtrorum optime.

*De veris cultibus Dei idolatras inſtituis, vt ad verum Deum conuertantur: tollis idolatriam.*

Ergo nos ſupplicātes tibi, exaudi propitius ſancte Spiritus.

*Concludit petitione, vt propter miſericordiam ſuam velit petitiones noſtras eſſe ratas.*

Sine quo preces omnes caſſæ creduntur & indignæ Dei auribus.

*Quia efficis ne ſint inanes noſtræ preces & vt exaudiantur. Eſt enim ſpiritus precum & gratiæ, Zach. 12.*

## APPENDIX DE FESTO Pentecoſtes miraculo ornato.

TV qui omnium ſeculorum ſanctos tui numinis docuiſti inſtinctu amplectendo Spiritus: Ipſe hodie apoſtolos Chriſti donans munere inſolito & cunctis inaudito ſeculis, hunc diem glorioſum feciſti.

*Eſſet quidem hoc ἐπίσταγμα collecta, ſed in eo petitio deſideratur.*

*Argumentum a facili, quia omnibus temporibus fuit doctor veritatis in Eccleſia, & mire efficax.*

*Aliud, a beneficio miraculoſo, quia viſibili ſpecie illis affuit, eoſque varijs & nouis donauit linguis, vt loquerentur magnifica Dei.*

## ALIA ORATIO ECCLESIAE AD SANCTVM Spiritum.

*Complectitur & hæc plures petitiones & commendationem beneficiorum & operum Spiritus ſancti in Eccleſia.*

*Locus. De inuocatione Spiritus ſancti veri Dei. De eius diuinitate, omnipotentia, præſentia & beneficijs, quibus Eccleſiam Chriſti iuuat, ſuſtentat & ornat.*

VEni ſancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium.

*Propoſitio primæ petitionis: accende in pectoribus noſtris lucem agnitionis Dei, veræ ſapientiæ & virtutum ſpiritualium.*

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

*Rationes ſunt 4 faciles: ſed ardet oratio repetitione, officiorum & beneficiorum coaceruatione.*

*1. Quia pauperes ſpiritu vt pater exaudit & curat.*

*2. Quia ſolus ipſe in Eccleſiam ſpiritualia dona, fidei, piorum motuum, virtutum & ſcientiarum effundit.*

3. *Quia illuminat corda verbo Dei, vt videant voluntatem patris cœleſtis.*

Conſolator optime, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigerium.

4. *Quia afflictam & cruce oppreſſam Eccleſiam Euangelij voce, & diuina virtute erigit, confirmat.*

5. *Quia ideo habitat in piorum mentibus, vt eas regat, doceat, conſoletur.*

6. *Quia pios luctis ſpiritualibus defatigatos reficit.*

In labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.

7. *Quia prædicatione promißionis gratiæ & fidei reddit quietam & tranquillam conſcientiam. Eſaiæ 28. Antitheta pulchra.*

8. *Quia in ſenſu iræ Dei, & æſtu conſcientiæ adhibet temperamentum verbi, ne ab illis abſumamur.*

9. *Quia in dolore & contritione adhibet conſolationem ne deſperatio ſequatur: & reddit lætitiam acquieſcentem in Dei miſericordia.*

O lux beatiſſima, reple cordis intima tuorum fidelium.

*Altera petitio per exclamationem, Reple corda credentium donis & bonis tuis.*

Sine tuo numine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.

*A neceſſario: Quia ſine te ſalui eſſe non poſſumus. Quia nihil boni cogitare, ſuſcipere & agere poſſumus, niſi tu regas & gubernes nos: ſed quicquid in nobis & ex nobis eſt, ducit in interitum, 2. Corinth. 3. Rom. 1. 7.*

Laua quod eſt ſordidum: riga quod eſt aridum: ſana quod eſt ſaucium.

*Congeries multarum petitionum.*

*Ablue ſordes peccatorum ſanguine Mediatoris in fide a te data.*

*Quia nos inſtar aridæ terræ omni ſucco caremus niſi a ſpiritu, qui eſt aqua viuens irrigemur, Metaphoræ pulchræ ſunt. Arcana virtute in verbo.*

*Sana voce Euangelij vulnera, id eſt, peccata & infirmitates noſtras, tege & remitte propter Chriſtum, & mitiga calamitates.*

Flecte quod eſt rigidum:
foue quod eſt frigidum:
rege quod deuium.

*Corda hominum dura & tuæ voci reſiſtentia emollito vt flectantur in obedientiam Euangelij, Epheſ. 4. Ezech. 36. Roma. cap. 1.*

*Frigida noſtra corda accende & redde feruida in fide, ſpe, charitate.*

*Reduc in viam ad paſtorem Chriſtum quotquot ab ipſo aberrarunt ne ingraſſatoris diaboli manus incidant.*

Da tuis fidelibus in te confidentibus ſacrum ſeptenarium.

*Multiplicibus donis orna Eccleſiam, quæ vera fide te nouit, amplectitur, inuocat & colit, ſunt vero dona, ſapientia, intellectus, conſilium, robur, ſcientia, pietas, timor.*

Da virtutis meritum: da
ſalutis exitum, da perenne gaudium.

*Concludens petit, vt nos faciat meritorum Chriſti participes, vt remißione peccatorum & iuſticia, det ſalutarem finem & æterna lætícia, gloria & vita donet.*

## DE SANCTA TRINITATE.

### *Carmen Iambicum, Archilochicum.*

*Hymnus petitorius ad ſanctam & indiuiduam Trinitatem.*

*Eſt exemplum veræ inuocationis quæ debetur Deo patri, filio & Spiritui ſancto, vni & æterno Deo.*

O Lux beata Trinitas,
Et principalis vnitas
Iam ſol recedit igneus
Infunde lumen cordibus.

*Propoſitio. Exaudi nos Deus pater, fili & ſpiritus ſancte, ſis nobis propitius iuſtifica, ſanctifica, rege, iuua nos, da nobis agnitio-*

nem

nem tui, vt vere credamus in te Deum vnum eſſentia, & perſonis trinum, inuocemus te, grati ſimus, & obediamus tibi, & Euangelij lucem perpetuo retineamus, &c.

Ratio eſt a tempore, quia vel iam noteſcit, recedente ſole, & ratione ſolſtitij dies breuiores ſunt: Sed tu nobis da ſolem iuſticiæ: vel, quia tenebræ, & confuſiones opinionum cultuum & morum ſunt timendæ, ſed tu verbi tui lucem eiuſque natiuam ſententiam, non ſinas nobis occidere.

Te mane laudum carmine,
Te deprecemur veſpere,
Te noſtra ſupplex gloria
Per cuncta laudet ſecula.

Ratio a fine petitionis, vel ab vtili ex promiſſione remunerationis & gratitudinis: Quia omni tempore te inuocabimus, te laudabimus & gratus animis tibi gloriam & honorem tribuemus.

## HYMNVS, QVI A ROMANA ECCLESIA CANITVR IN FESTO Corporis Chriſti, compoſitus a D. Thoma Aquinate, qui deceſſit anno Chriſti 1274.

*Hymnus hic ſcriptus eſt in laudem Cœnæ, quam Chriſtus Dominus ea nocte qua traditus fuit inſtituit: inque ea corpus ſuum edendum, & ſanguinem ſuum bibendum diſcipulis ſuis dedit: & voluit eam Cœnæ religioſam celebrationem in Eccleſia ſua vſque ad vltimum aduentum ſeruari. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & Paulus 1. ad Corinth 11.*

PAnge lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Sanguiniſque precioſi,
Quem in mundi precium,

Propoſitio: canam de myſterio corporis & ſanguinis Chriſti, vel de ſacramento cœnæ Dominicæ: in qua exhibetur &

Fructus ventris generoſi
Rex effudit gentium.

*ſumitur corpus Chriſti, & ſanguis, quem idem rex Deus & homo, filius Mariæ virginis, vt eſſet λύτρον pro peccatis mundi in ara crucis effudit.*

Nobis natus, nobis datus
Ex intacta virgine:
Et in mundo conuerſatus
Sparſo verbi ſemine,
Sui moras incolatus
Miro clauſit ordine.

*Narratio. Eſt enim primum nobis natus puer, datus filius, Eſa. 9. & quidem ex virgine matre, Eſa. 7.*

*Deinde vixit in mundo, & quidem inter ſuos ſupra annos triginta tres. Inde anno ætatis 30. cœpit obire miniſterium ſuum, & docere populum de regno Dei, doctrinamque ſuam multis miraculis confirmare.*

*Tandem vitæ ſuæ curſum miro, & inexpectato ordine paſſione & morte ſua abſoluit.*

In ſupremę nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Obſeruata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat ſuis manibus.

*Diſcubuit cum diſcipulis, & comedit Paſcha, id eſt, agnum paſchalem, & typum ſuæ paſsionis, ex inſtitutione legali, vt plene ſatisfaceret legi, Exodi 12.*

*Poſtea veſcentibus illis dedit eis ſuum corpus pane edendum, & vino ſanguinem ſuum bibendum, & hoc vt facerent, præcepit: & ita ſacramentum hoc noui teſtamenti inſtituit.*

Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit:
Fitq; ſanguis Chriſti merum
Etſi ſenſus deficit:
Ad firmandum cor ſincerum

*Chriſtus λόγος, Deus & homo, efficit verbo ſuo, vt panis verus, ſit verum ſuum corpus, id eſt, vt Paulus interpretatur, vere corporis communicatio, & vinum verum, ſit communicatio veri ſanguinis. Auguſtinus tra-*

(*a*) Sola Fides ſufficit.

*Statu 86. ſuper locutionem. Accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum, non quia dicitur ſed quia creditur. Eſt autem verbum hoc, verbum fidei, quod prædicarunt Apoſtoli, &c.*

(*a*) *Poſtulat enim promiſsio in ſingulis vtentibus fidem. Nam cum Chriſtus dicat, Accipite, hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, certiſsimum eſt, eum his verbis offerre res promiſſas in nouo teſtamento, cum & dicat velut in ſtipulatione, accipite, & mentionem faciat noui teſtamenti, quod eſt promiſsio remiſsionis peccatorum, reconciliationis & bonorum æternorum.*

Tantum ergo ſacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum (*b*) documentum
Nouo cedat ritui:
Præſtet fides (*c*) ſupplementum
Senſuum defectui.

*Accedamus ergo, & vtamur hac cœna, vera cordis veneratione & externa reuerentia, certo ſtatuentes, Chriſtum vere præſentem eſſe, applicare ſeſe & ſua beneficia communicatione corporis & ſanguinis ſui, & nos ſibi membra facere, vt in nobis ſit efficax; ſicut Hilarius inquit: Hæc ſumpta & hauſta, faciunt, vt Chriſtus ſit in nobis, & nos in Chriſto.*

(*b*) *tollatur Paſcha Iudaicum vel typicum, & celebretur Euangelica hæc ceremonia noui Teſtamenti.*

(*c*) *Cum enim animalis homo, non poſſit ſenſu & ratione naturali percipere ea quæ ſunt ſpiritus Dei, neceſſe eſt nos fide accipere tanta bona cœleſtia, & tam auguſtas promiſsiones, quæ nobis in ſacramento noui fœderis offeruntur.*

Genitori genitoque
Laus & iubilatio:
Salus, honor, virtus quoque.
Sit & benedictio:
Procedenti ab vtroque
Compar ſit laudatio.

# ODA ECCLESIAE DE NATIVITATE ET PASSIONE Chriſti.

## *Carmen Iambicum, Dimetrum.*

*Oda eſt Diegetica. Narratur enim & deſcribitur in hac admiranda Chriſti Ieſu natiuitas ex ſancta virgine Maria: & paſſionis eius fructus attingitur. Eſt vero hæc perpetuis metaphoris mirifice ornata, vt aliquam quoque ænigmatis ſpeciem videatur habere: ſumpta eſt ex vaticinio, Ezechiel. cap. 44. Porta hæc clauſa erit, non aperietur. &c.*

FIt porta Chriſti peruia,
Referta plena gratia,
Tranſitque rex: & permanet
Clauſa vt fuit per ſecula.

*Ænigma eſt: Tranſit rex per portam, quæ ſemper manſit clauſa, hoc eſt, Chriſtus rex noſter concipitur & editur in hanc lucem a gratioſa matre, quæ fuit, eſt, & permanebit virgo.*

Genus ſuperni luminis (a)
Proceſſit aula virginis (b),
Sponſus, redemtor, conditor
Suæ Gigas Eccleſiæ.

*Expolitio eſt per alias & non minus gratas periphraſes & metaphoras.*

*(a) filius ſummi Dei ab æterno genitus.*

*(b) naſcitur ex virgine quaſi de regia aula prodiens, fuit enim de ſtirpe regia.*

*Appellationes officiorum Chriſti: Quia vt ſponſus ſuam Eccleſiam amat & tuetur.*

*Quia redemit ipſam morte ſua.*

*Quia conditor mundi, eſt Deus, appellatio eſt a proprio actu Dei.*

*Quia eſt inuictus Gigas, defenſor & propugnator fortunatus ſuæ Eccleſiæ, ex Pſalm. 19.*

Honor matris & gaudium (c),

*Amplificatio eſt: Filius Chriſtus eſt honori*

Immen-

Immenſa ſpes credentium (d),
Per atra mortis pocula (f)
Reſoluit noſtra crimina.

*ſuæ matri: inde canit ipſa: ex hoc dicent me beatam omnes generationes.*

*(c) gaudium quod ipſa ex tali filio in corde concepit. Sed de ſpirituali gaudio Eccleſiæ rectius exponitur.*

*(d) Quia ex ipſo omnes credentes firmam habent ſpem, & expectationem conſequendæ ſalutis lætitiæ & vitæ æternæ.*

*(f) per calicem quem bibit, id eſt, crucem & mortem ſuam expiauit noſtra delicta. Vſus eſt Paßionis eius.*

Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine,
Cum Patre & ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſecula.

*Concludit gratiarum actione.*

## ELEGIA EIVSDEM ARGVMENTI.

Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis,
In tua ſe clauſit viſcera factus homo.

*Factum. Deus infinitus & immenſus in vtero virginis eſt conceptus, & ex ea natus homo.*

Vera fides geniti purgauit crimina mundi
Et tibi virginitas inuiolata manet.

*Vſus. Omnes homines vera fide hunc Dei & Mariæ filium apprehendentes conſequuntur remißionem peccatorum ſuorum, Ioan. 3.*

Gloria magna Patri, compar tibi gloria nate,
Flamine cum ſancto, gloria magna Patri.

*Concluſio iteratione figurata.*

## HYMNVS DE S. IOANNE BAPTISTA.

## *Carmine Iambico Dimetro.*

### PHILIPPI MELANCH.

*Eſt Encomium vel doxologia Iohannis baptiſtæ. Canuntur vero & retinentur in Eccleſia doxologiæ ſanctorum. Primum vt extent teſtimonia doctrinæ purioris & miniſterijs conſeruati, & rerum geſtarum ab ipſis.*

*Secundo, vt agnoſcantur beneficia Dei, quibus ſe Eccleſiæ patefecit, & agantur ipſi gratiæ.*

*Tertio, vt eorum exemplis confirmetur fides noſtra.*

*Quarto propter imitationem, virtutum quibus clari fuerunt.*

*Vnde recte dicit Siracides c. 44. Laudem ipſorum nunciabit Eccleſia.*

AEterno gratias Patri
Omnes canant eccleſiæ,
Quod nuncium verbi ſui
Iohannem nobis miſerit.

*Exordium eſt hortatorium ad εὐχαριστίαν, Eſtque propoſitio.*

*Simus grati Deo pro miſſo præcone verbi, baptiſta Eccleſiæ.*

Hic mores exui malos
Iuſſit, metuque iudicis
Mox affuturi terruit
Superbas mentes omnium.

*Narratio, qua laudatur a doctrinæ genere quod propoſuit.*

*Iuſſit Iudæos reſipiſcere: edere dignos fructus pœnitentiæ.*

*Terruit eos comminatione diuini iudicij, & pœnæ futuræ, Matth. 3. Lucæ 3. Concione legis eſt vſus.*

Rurſus perculſos metu
In ſpem vitæ certam vocat:
Et monſtrat agnum digito
Qui placat vnicus Deum,

*Docuit Euangelium: conterritas & conſternatas mentes erexit, & conſolatus eſt voce Euangelij promiſsionem gratiæ et vitæ annunciante.*

*Monſtrauit agnum Dei tollentem peccata mundi, & iram Dei placantem morte & ſatisfactione ſua, Ioan. 1.*

Hæc ille firmo pectore
Docet: Chriſtumque prę-
dicat
Venire: ceu ſolem nouum
Prodire aurora nunciat.

*Laudat a fortitudine & constantia in exequendo præcipuo officio, quod eſt Chriſti Meſsiæ aduentum prædicare, & Euangeliū annunciare populo, Luc. 3.*

*Nuncius miſſus ante faciem eius, Malach. 3. Matth. 11. Marci 1. Lucæ 7.*

Nec Phariſæi ſpiritum
Fregerunt ingentem viri:
Helias alter hic fuit *
Hippocritas dum arguit.

*Conſtantiæ & animi magnitudinis in docendo & arguendo amplificatio.*

*Qui venturus erat, Matth. 11.*

** In ſpiritu & virtute Heliæ, Luc. 1.*

Te ſumme rogamus Pater
Vt corda noſtra ſuſcites,
Vt vere poſſint credere
Ioannis teſtimonio.

*Concludit precatione. Det nobis Deus pater, vt concionibus Ioannis habeamus fidem, & quæramus ſaluatorem Chriſtum.*

## ALIVS HYMNVS DE EODEM BAPTISTA, autore IOACH. CAMERARIO.

*Eſt doxologia prolixior, & eodem argumento in D. Ioannis laudem, quo prior ſcripta.*

*Loci communes ſunt. De miniſtrorum Dei profeſſione, officijs & fortuna in hac vita.*

*De veritatis Euangelicæ ſtabilitate & perpetua duratione.*

VT queat feſto celebrare cantu,
Geſta ſanctorum pia vox tuorū,
Chriſte peccatis timidæ reſolue
Vincula linguæ.

*Propoſitio eſt cum inuocatione. verſib. canam res geſtas*

*res geſtas ſanctorum tuorum: tu ergo Chriſte ſis mihi propitius, remitte peccata, & da linguæ ſolutæ facultatem.*

Hoc tibi mentis ſtudium fidelis
Hoc opus laudis meritæ refertur,
Corde qui dignas memori iubemur
Reddere grates.

*Ætiologia ab vtili & honeſto.*

*Quia his ſanctorum laudibus tuo honori ſeruitur, & de tua agitur gloria.*

*Quia vis vt tibi agamus gratias commemoratione beneficiorum, quibus eos ornaſti.*

Nunc adeſt lætæ bona lux diei
Qua Deo addictus populus beati
Martyris, ſancti colit ac Prophetæ
Feſta Iohannis.

*Occaſio a tempore: quia dies feſta uenit, quam Eccleſia in Ioannis Baptiſtæ Prophetæ altiſſimi, honorem & memoriam recolit.*

Angelus patri ſenio trementi
Antequam ferret ſua mater aluo,
Huius exortum ſimul atque vitam
Ordine narrat.

*Narratio. Laudat a prædictione & teſtimonio Gabrielis angeli: a diuina vocatione eius.*

*Is Zachariæ ſeni prædixit filij partum, nomen, ſecuturum gaudium, dignitatem, continentiam, ſanctitatem & profeſſionem vitæ, Lucæ 1.*

Hic ad (a) affatum Domini Mariæ
Matris, exultans vtero parentis (b)
In ſuæ, Chriſtum venerans adorat
Geſtibus infans.

*A ſanctitate et præſtãtia eius miraculo cõfirmata.*

*(a) ad ſalutationem Mariæ.*

*(b) Elizabetæ.*

*Subſilijt in vtero arcano ſpiritus motu agnoſcens & honorans præſentem Saluatorem.*

Hic viam Chriſto parat affuturo:
Monſtrat extenſo digitoque puram

*A doctrinæ genere:*

Victimam

Victimam, offenſi fuit expiata
Qua patris ira.

1. Iuſſit Iudaos agere pœnitentiam agnoſcere, deplorare, odiſſe delicta & omnem ſanctitatis perſuaſionem abijcere.

2. Prædicauit Euangelium: & dixit adeſſe & monſtrauit agnum, qui eſſet futurus victima pro peccatis mundi, & patris iram placaturus: ad illum eſſe eundum.

En Dei, clamat, precioſus agnus,
Dum ſtat & præter videt ire Ieſum,
Qui tulit mundi ſcelus, & reatus
Crimina ſoluit.

μιμητικῶς verba eius repetit.

Conciuncula de Chriſti beneficijs: Is geſtauit & abſtulit peccata, eorum pœnam & damnationem.

Ille & in viuo veterem peroſos (e)
Vitam, & ad cœli cupidos venire
Regna, diuinos monitos ſecutus
Flumine mergit.

Ab alio officio miniſterij eius: quia arcano Dei iuſſu baptizauit, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Marci 1. Ioan. 3.

(e) confitentes peccata ſua, & expetentes vitam æternam.

Carceris tandem datus in tenebras (f)
(g) Arguens regis Venerem nefandam
Fraudæ (h) reginæ capite (i) amputato
Occidit inſons,

A fortuna eius & mortis genere eiuſq; cauſa.

(f) vinctus mittebatur in carcerem, Matth. 14. Lucæ 3.

(g) inceſtum dicens: non licet tibi Herodiadem fratris tui vxorem habere.

(h) quæ filiam inſtruxerat, vt peteret ſibi dari caput Ioannis.

(i) miſſis carnificibus amputatum eſt ei caput in carcere.

Vidit inciſi iuguli Machærus

A teſti-

Corpus,

Corpus, æterni quod ab ore verbi
Sparſerat ſancto ſegetem datura
(k) Semina lætam.

*ſtimonio Machærūtis caſtelli, vbi interfectus eſt. Ab alia cauſa cædis eius, hæc eſt μαρτύριον: quia erat preco veritatis diuinæ.*

*(k) ſuauis Metaphora de Euangelij effectu.*

Hæc via eſt ſemper pietatis eius,
Quæ Deum vere colit, & ſalubres
Ore depromens monitus aperto
Libera fatur.

*Amplificatio ex loco communi: veram pietatem & libertatem confeßionis doctrinæ Chriſti, & piarum increpationum comitatur, perſecutio, crux.*

Increpans auſus hominum proteruos,
Impii fructus animi, docenſque
Huic Deum iraſci grauiter furori
Omnipotentem.

Ergo ſe contra parat ille mundi
Principis turmæ globus, opprimitque
Vi ſua ſanctæ pietatis alma
Verba loquentes.

*Autor perſecutionis eſt diabolus & ſatellites eius malicia ſua, & impietate impulſi, & pijs concionibus irritati.*

Innocens ceruix gladio ſecatur
Mergitur corpus pelago, aut flagrante
Vritur flamma, iacet aut in tetro
Carcere vinctum.

*Alia amplificatio ex loco cōmuni, de duratione & robore veritatis cœleſtis, per contentionem. Etiamſi miniſtri varijs cruciatibus, & contumelijs affecti e medio tolluntur: Veritas tamen verbi manet firma & nulla ui opprimitur. Eſt vero cruciatuum diſtributio.*

Veritas nulla tamen occubat vi:
Ac quaſi iniectum generoſæ palmæ
Stirps, onus contra liquidas renitens
Tendit in auras (l).

*Exornat*

*Exornat comparatione ſumpta, a palmæ natura.*
*(l) ſtat immota & erecta.*

Gratias cœtus populi frequentis,
Et patri & nato pariterque ſancti
Numini flatus agat, huncque læta
Voce celebret.

*Concluſio eucharistica.*

Optimum, iuſtum, omnipotentem & vnum
Finis expertem ſimul hunc & ortus,
Cuius a ſe cuncta potens creata
Dextra gubernat.

*Deſcriptio Dei ex habitibus, eſſentialibus æternitate & actibus propriis.*

# HYMNVS DE S. S. PETRO ET PAVLO APOSTOLIS.

## *Verſus Iambici Trimetri.*

### IOACH. CAMERARII.

*Eſt quoque doxologia, de duorum præcipuorum Chriſti Apoſtolorum laudibus, in genere Demonſtratiuo.*

LVx aurea roſeo nitore ſplendida
Hæc nomen eſt ſortita Chriſti Martyrum
Petri atque Pauli, quorum in orbe fulgidum
Ortum renidet vniuerſo iam iubar.

*Exordium ab occaſione ex tempore. Eſt hac dies (cuius eſt περίφρασις poetica) feſta Petri & Pauli.*

*Attentio, horum nomen eſt notum & clarum in toto mundo.*

Tu Petre primum Antiochi ad vrbem collocas
Præconii

*Narratio, de eorum profeſſione, & locis vbi vixerunt.*

*Fuerunt doctores Eccleſiarum Chriſti.*

*Petrus gubernauit &*

Præconii ſedem atque do-
ctrinæ thronum.
Paulus peragrat regna
iuſſus Græciæ:
Sed Roma vitæ ambos co-
ronat exitu.

*docuit Antiochenam: Paulus in Græciæ vrbibus concionatus, eſt gentium doctor.*

*A vitæ exitu, ambo Romæ ſub Nerone necati ſunt ille cruce, hic gladio.*

Horum meminiſſe nomi-
nis pios decet.
Et gratias agere Deo æter
no patri,
Hos in ſuam qui miſe-
rit meſſem viros,
Chriſti ſequentes atque
monſtrantes viam.

*Propoſitio. Horum memoria eſt celebranda.*

*Ratio a cauſa finali aliqua, vt ſimus grati Deo pro talibus doctoribus, qui vtiliter laborarunt in Eccleſia, Matth. 9.*

*A doctrinæ genere, quod eſt ſolam Chriſti doctrinam tradere: ad ſolum Chriſtum ſaluandos adducere.*

His Chriſtus pariter tra-
didit claues poli,
Eſſent apertæ ſemper vt
fidelibus,
Clauſæque vt huius impiis
eſſent fores.
Hæc eſt apoſtolici poteſtas muneris.

*Ab alio eorum officio, quod eſt poteſtas clauium remittendi pœnitentibus, & retinendi non agentibus pœnitentiam peccata, Matth. 16. Ioan. 20.*

Nunc eſt vterque beatus
in cœlis, ſuo
Curſu peracto in valle fle-
tus turbida,
Sed nunc quoque inſtruit
& docet ſcriptis pios,
Et verba vitæ ac veritatis
perſonat.

*Ab ipſorum æterna beatitudine, qua ſunt donati, poſtquam ex hac vita emigrarunt.*

*Ab ipſorum ſacris ſcriptorum monumentis, quæ reliquerunt Eccleſiæ.*

*A doctrinæ præſtantia, quæ in illis continetur.*

His

His ſunt reliquiæ Martyrum reconditæ
Tecis: & hæc monumenta ſanctorum patent,
Illęſa ſeruatur quib. Chriſti fides,
Cunctiſque confertur ſalus credentibus.

*Epiphonema. In libris Petri & Pauli habentur recondita ipſorum dogmata, veræ ſanctorum reliquiæ.*

*A duplici vtilitate puræ ſanæque doctrinæ.*

Aeternæ laus tibi ſit o Deus pater:
Et ſit tibi coæterne laus fili Deus:
Sit laus tibi vtriuſque ſpiritus Deus,
Soli, potenti, maximo, vero Deo.

*Concluſio doxologica S. Trinitatis.*

# HYMNVS DE MARIA DEI GENITRICE VISITANTE ELIzabet, ex hiſtoria Lucæ 1.

## *Carmen eſt Iambicum, Dimetrum.*

### PHILIPPI MELANCH.

*Hymnus Euchariſticus, cum congreſſus & colloquiorum Mariæ & Elizabetæ commendatione.*

*Loci communes. De conſeruatione Eccleſiæ. De teſtimonijs Eccleſiæ de Chriſto. De ſynodorum præcipuo vſu. De gratiarumactione.*

AEterne gratias tibi
Dicamus omnes conditor:
Quod inter hoſtes plurimos
Eccleſiam ſeruas tamen.

*Exordium a gratiarumactione.*

*Propoſitio. Agantur Deo gratiæ.*

*Ratio ab honeſto ex beneficio eius theſi propoſito: Quia tuetur Eccleſiam ſuam etiam in hoſtium furoribus, iuxta illa: Nemo rapiet eas de manibus meis: Capilli capitis veſtri numerati ſunt.*

Vt inter arma gentium,
Herodis & Satellites,
Interq; tetros dogmatum
Furores & deliria.

*Explicatio rationis per exempla, in hypotheſi. Quia texiſti pias matronas, earumque familias. 1. Contra vim peſsimorum latronum & militum ex Parthis, Ægyptijs, Syris, & alijs tunc in Iudæa latrocinantibus.*

*2. Contra vim miniſtrorum & ſatellitum Herodis.*

*3. Ne in Pontificum, Phariſæorumque errores & impia dogmata ruerent.*

Seruas Mariam virginem,
Domumq; caſtę Elizabet:
Quæ prædicant munus tuum,
Datumque Chriſtum nunciant.

*Erat enim inter eas vera Eccleſia: cuius nota eſt: agnitio, confeſsio, & prædicatio Chriſti exhibiti.*

Non Pontifex, non Principes
Etſi ſciunt oracula
Vatum, veniſſe nouerant
Salutis autorem nouæ.

*Amplificat a contrarijs exemplis per antipophoram: Pontifices & ſcribæ non ignorabant vaticinia Prophetarum de futuro Meſsia: ſed illum exhibitum ſaluatorem non nouerunt.*

Sed dulcis hæc Elizabeth
Et virginis congreſſio,
Arcana promit cæteris
Vere Deum colentibus.

*Paruus cœtus piorum & contemptorum hominum eſt Eccleſia.*

*A proprijs actibus congreſſuum & colloquiorum piorum myſteria mundo ignota ſuis patefaciunt, Elizabet benedictione, Maria gratiarumactione.*

Aluoque fœtus conditus
Longo ſacerdotum agmini
Agnoſcit ignotum ducem
Adorat & geſtu ſuo.

*A teſtimonio Ioannis in vtero matris motu ſpiritus ſanctus agnoſcentis, & miraculoſo ſaltu excipientis venerantiſque Chriſtum præſentem.*

*Antitheſis. Infans in vtero agnoſcit Meßiam, ſacerdotes docti non agnoſcunt.*

Hæc prima ſynodus fuit,
Teſtata de Chriſto Duce,
Poſtquam ſtatuto tempore
Verbum Patris factum eſt
caro.

*Amplificatio ab honorifica appellatione eius congreſſus: dicitur enim prima Synodus. Proprium earum munus eſt teſtari de Chriſto ex ſcriptura, & edere confeßionem doctrinæ. Hæ fœminæ conteſtantur promiſſum Ducem, & Saluatorem populi Iſraëlitici eſſe præſentem, conceptum iam in vtero matris Mariæ, iuxta ſcripturam, Galat. 4. Ioan. 1.*

Accenſa teſtimoniis
In corde noſtro talibus,
Colat fides & inuocet
Chriſtum Mariæ filium.

*Concluſio Paranetica ad cultus præcipuos: vt vera fide teſtimonijs Eccleſiæ accenſa, complectamur miſſum a Patre, & in omni neceßitate inuocemus Chriſtum Deum & hominem.*

Opemque ſpe firma petat,
Miſſumque credat a Patre,
Vt inuocantes adiuuet
Maliſque cunctis liberet.

## ALIVS HYMNVS,

*Eodem & argumento & carminis genere quo proxime præcedens, ſcriptus à Doctore*

PAVLO EBERO.

QVam læta perfert nuncia
Dum Galilæis finibus

*Proponit interrogatione, admiratione & adynato, vt in admirationem eius congreſſus ducamur:*

Relictis, cognatam ſuam
Procul Maria viſitat?

*videtur hoc dicere: Nos neque mente concipere, neque verbis exprimere poſſumus piarum cognatarum affectus & laticiam in illo congreſſu ſe mutuo ſalutantium & complectentium.*

Quanto Mariam gaudio
Elizabet complectitur:
Quam ſcit monente ſpiritu
Geſtare promiſſum Ducem?

*Ratio gaudij Elizabetæ dicentis: unde venit mihi hoc &c. quia arcana indicatione Spiritus ſancti ipſa agnoſcit Mariam in utero geſtare Chriſtum promiſſum: Is deſcribitur a nomine, quia dux populi ſui, & ab officio, quia futurus eſt conciliator: morte ſua eſt Deum iratum humano generi ob peccata iraſcenti reconciliaturus.*

Qui conciliaturus Deo
Patri ſit humanum genus,
Lapſu quod olim ſe graui
A conditore auerterat.

Quem flagitauerant patres,
Multis venire ſeculis:
Hunc matris incluſus ſuæ
Aluo Ioannes excipit.

*A teſtimonio miraculoſo Ioannis, nondum egeſti ex utero matris.*

Et prædicare quem pia
Lingua nequit mutus ſenex
Hunc mente adorat, indicans
Geſtu Dei præſentiam.

*A teſtimonio muti Zachariæ etiam geſtu & venerationis ſignis præſentem Meſiam agnoſcentis & indicantis.*

Hanc parua continet caſa
Eccleſiæ turbam nouæ
Quæ prima declarat ratũ
Verbum Dei de ſemine.

*A teſtimonio Eccleſiæ in ædibus Zachariæ collectæ & ſynodum celebrantis. Teſtatur vero Deum ſtetiſſe promiſſis de mittendo Meſia factis.*

Dum

Dum tentat Herodes ſuum
Firmare regnum cædibus:
Et helluatur Caiphas
Pioſque doctores necat.

*Amplificat ab exemplis contrarijs, Eccleſiam a Deo conſeruari etiam circumſtantijs & periculis eius docet. Quamuis tunc Herodes gerit bella pernicioſa & diuturna cum ſuo populo: Quamuis impij Pontifices ſuis voluptatibus indulgent, pios doctores occidunt, nihilque ſunt de Eccleſia, aut de Meſsia ſolliciti: ipſa tamen eſt Deo quem ſui norunt & colunt curæ.*

Perinde nunc Eccleſiam
Arctæ tenent anguſtiæ,
Quam turbat aut erroribus,
Aut cædibus dirus Draco.

*Accommodatio eſt ſtatus Eccleſiæ noſtri temporis. In iiſdem eſt miſerijs & periculis noſtra Eccleſia.*

*Ratio, quia Satan eam aut falſa doctrina turbare, aut perſecutionibus & cædibus extinguere conatur. Eſtque argumentum a neceſſario.*

Hanc tu carentem robore
Firmiſque defenſoribus,
Tuere Chriſte quæſumus
Laudes tuas vt prædicet.

*Concludit apta precatione, vt hodie quoque Eccleſiam afflictam, & præſidijs humanis deſtitutam Chriſtus tueatur.*

*Ab vtili fine, vt ipſa ſalua ſit & agnoſcat atque celebret Deum ſuum.*

# HYMNVS DE SANCTO Laurentio.

## IOACHIMI CAMERARII.

*Encomiaſticus eſt. Agens de laudibus Martyris Chriſti Laurentij, qui fuit Diaconus & Quæſtor ærarij Eccleſiæ Romanæ ſub Sixto Epiſcopo, anno Chriſti 254. Laudatur vero in hoc potiſsimum, quod maluit duriſsima ſupplicia perpeti, quam vel iniuſte agere, vel nominis Chriſti confeſsio-*

*nem abijcere: vt eius exemplo ad liberam Euangelij profeſſionem, & in cruce patientiam inuitemur.*

FEſta Laurenti celebri per annum
Lux redit, Chriſti famuli dicata
Nomini præbens memoranda fidi
Martyris acta.

*Propoſitio ex occaſiõe temporis nata. Memoranda & laudanda ſunt acta Laurentij hoc die ipſi ſacro.*

Quem nec inſtantis facies tyranni,
Nec minæ ſæui potuere regis,
In fide ſancta ſtabili manentem
Frangere mente.

*Ratio ab honeſto ex conſtantia virtutum, & firmitate fidei eius, qua nec Decio Imperatori impia præcipienti cedere voluit.*

Pontifex Romæ pius, & paratus
Vera doctrinæ proprio cruore,
Et ſua Chriſti nece roborare
Dogmata Syxtus.

*Narratio confirmatoria. Narratur pij Epiſcopi honeſtum mandatum. Pietatis ſignum eſt, quia pro veritate Euangelica mortem ſubire non dubitauit.*

Hunc iubet quondam ſibi creditam rem,
(a) Chriſtiani diuitias peculi,
Pauperum larga gregibus ferentem
Tradere dextra.

*Iuſſit theſaurum eccleſiæ in vſum pauperum conſeruare & erogare. (a) Exegeticos additur hæc appoſitio.*

Sed rapax ſacris opibus tyrannus
Geſtiens inferre manuſ auaras
Mandat argenti ſibi mox & auri
Pondera promi.

*Mandatum priori contrarium & impium Tyranni. Cauſa impulſiua auaricia & impietas.*

Ergo crudelis Decii miniſter,
Impii regis furiis adactus
Corripit ſanctum iuuenem, miniſque
Triſtibus vrget,

*More tyrannorum mandatis adduntur comminationes ſuppliciorum & vincula.*

Ni ſtatim tectæ precioſa gazæ
Dona deportet, Latioſque diuos
More maiorum veneratus, aris
Addat honores.

*Duo impia mandata ipſi propoſita narrantur.*

*1. Tradat Imperatori facultates alienas, vt Eccleſiæ ſuæ fidei commiſſas.*

*2. Vt ſit idolatra, inuocet & veneretur Deos gentium.*

Ille theſauros grege conuocato
Pauperum monſtrat, fidei nefaſque
Edocet quod ſit violare Chriſto
Iura ſacratæ.

*Exponitur factum Laurentij: noluit parere libidini & impiæ voluntati Decij: Petiuit ſibi concedi tridui ſpacium ad colligendos theſauros Eccleſiæ: & conuocauit omnes mendicos, pauperes, ægrotos hos monſtrauit miniſtris Decij: addens, hos eſſe theſauros Eccleſiæ, quibus quod detur non perire. Cenſuit itaque facultates Eccleſiæ non eſſe Imperatoris, ſed deberi pauperibus: indicauit quoque ſe ſalua conſcientia Eccleſiam ſuæ fidei commiſſis facultatibus non poſſe priuare, ac ſimul fidei ſuæ confeſſionem edidit.*

Ergo non vnus ſubito aduocatus
Carnifex omnem mouit officinam,
Inque coniunctas tenero fatigat
Corpore vires.

*Narratur ſupplicium ad quod fuit raptus.*

*Hoc auget numerus, ſtudium & labor carnificum torquendi Laurentium.*

Texitur tandem ſcelerata crates
Laminis ferri, iuueniſque ſancti

*Deſcriptio exquiſiti*

Nuda Laurenti ſuper alligati
Membra reuincit.

*ſupplicij: torretur enim in craticula.* *Machina vel inſtrumentum tormenti crates ferrea. Modus & ὑποτύπωσις.*

Aeſtuans prunis, rutilanſque flammis
Subter hanc, iræ rabidi furoris
Seruiens, dirus rogus excitato
Subditur igne.

Innocens vnum latus ille torret:
Mentis at fidens iuuenis iubet ſe
Verti, vt aſſata rabies tyranni
Parte fruatur.

*En conſtantiã animi & robur ſidei in Laurentio.*

*Etiam in ipſo ſupplicio deriſit tyrannum aſtantem.*

Milites Chriſti manet iſte finis,
Huius in mundi ſpacio, ſed ex hac
Excipit vita melior profectos
Portio rerum.

*Amplificatio eſt ex loco communi, de cruce piorum in hac vita: & futura beatitudine in altera: ſed qui ſeminant in lachrimis in exultatione metent, Pſal. 125.*

Qui ſequi Chriſtum cupiunt magiſtrum,
Et piæ rectam tenuiſſe vitæ
Semitam, duræ mala ferre ſortis
Multa neceſſe eſt.

*Aliqua eſt cauſa afflictionũ piorum, vt ſint teſtimonia doctrinæ.* *Matth. 16. Qui vult me ſequi tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

*2. Timoth. 3. Omnes qui pie volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.*

Nunc tuum cœtus memori quotannis
Nomen, o Martyr recolit fidelis
Corde te cantus meritis ſonori
Laudibus ornans.

*Peroratio per apoſtrophen,* ex

*ex cauſis propter quas celebremus feſtum Laurentÿ.*

*1. vt militis Chriſti virtutes & res geſtas Eccleſia cognoſcat, & laudet & imitetur.*

Et ſimul Chriſto pia turba grates
Omnis autori peragit ſalutis
Qui tua victor poſuit perenne
Morte trophæum.

*2. vt gratiæ agantur Deo danti victoriã ſanctis, & ſuum honorem tuenti.*

Ille de elati ſolet hac triumphum
Viribus ſemper ratione clarum
Ducere, ac indebilitate robur
Frangere mundi.

*A more Dei, & ſingulari modo obtinendæ victoriæ in Eccleſia. Is noſtra infirmitate vincit & frangit potentiam mundi: Sic apparet Eccleſiam non viribus humanis, ſed virtute diuina ſeruari: Sic virtus Dei in noſtra infirmitate perficitur, 2. Cor. 12.*

Maxime o rerum tibi laus ſit autor
Et pater, ſit laus tibi Chriſte fili,
Et Deo laus ſit tibi ſancte vero
Flatus & vni.

## DE ANGELIS HYMNVS.

### PHILIPPI MELANCH.

*Hymnus Euchariſticus & Encomiaſticus angelorum Dei caſtorum & bonorum, qui ſunt eſſentiæ ſpirituales, a Deo ex nihilo conditæ, intelligentes, confirmatæ in bono per Spiritum ſanctum, liberæ, beatæ, ordinatæ ad hanc militiam, vt filio Dei ſeruiant in defenſione Eccleſiæ & membrorum eius. ad Hebræ. 1.*

DIcimus grates tibi ſumme rerum *Exordiũ*
Conditor, Gnato tua quod mini- ἐυχαριςι
ſtros



Flam-

Flammeos finxit manus, angelorum
Agmina pura.

*Agimus Deo gratias pro angelis bonis creatis : quod ſint miniſtri flammei a Deo formati vt ſeruiant Chriſto, a cauſa efficiente & finali, Pſal. 104.*

*χὸν, propoſitio eſt. Hos definit*

Qui tuæ lucis radiis vibrantes,
Te vident lætis oculis, tuaſque
Hauriunt voces ſapientiæque
Fonte fruuntur.

*Laudat a beatitudine qua fruuntur : eſt quoque pars definitionis : quia ſunt ſpiritus præditi luce noticiaque diuina, videntes Deum, audientes vocem diuinam, & æterna Dei ſapientia fruentes.*

Hos nec ignauum ſinis eſſe vulgus,
Nec per ingentes volitare fruſtra
Aetheris tractus, temere nec inter
Ludere ventos.

*Ab ipſorum officijs ad quæ ſunt conditi per anthypophoran, quæ eſt : non ſunt ſpiritus otioſi : quæ expolitione illuſtratur.*

Sed iubes Chriſto comites adeſſe,
Et pios cœtus hominum tueri,
Qui tuas leges venerantur, atque
Diſcere curant.

*Officia ſunt duo : 1. adſunt miniſtri Chriſto, vt iuſſa eius faciant. 2. Sunt defenſores piorum, quorum eſt deſcriptio ex actibus.*

Impiis ardens odiis & ira : (b)
Nam tuis caſtris Draco ſemper (c) infert
Bella, (d) qui primus ſcelus atq; mor(tem
Intulit orbi.
(e) Hic domos, vrbes, tua templa, gentes,
Et tuæ legis monumenta tota,
Et bo-

*A beneficio angelorum nos tuentium & defendentiū aduerſus vim & cruentos conatus hoſtis diaboli.*

Et bonos mores abolere tentat
Funditus omnes.

*Redditur vero illud maius & illuſtrius amplificatione periculorum, ſtudij, conatus & actuum diabolicorum per antitheſin.*

*(b) cauſæ impulſiuæ.*

*(c) Diabolus gerit ἄσπονδον πόλεμον cum Eccleſia Dei.*

*(d) Is parentes primos in peccatum, & pœnam peccati coniecit.*

*(e) Diſtributio rerum quas euertere ſtudet Satan.*

Interim ſed nos tegit Angelorum,
Quæ ducem Chriſtum ſequitur caterua,
Atque graſſantis reprimit cruenta
Arma Draconis.

Angeli Lothon Sodomæ tuentur:
Inter infeſtos Eliſæus hoſtes
Angelis cinctus nihil extimeſcit
Bellica ſigna.

*Ab exemplis beneficiorũ Angelicorum. 1. Educunt Lothum cum ſuis ex Sodomis, Geneſ. 19. 2. Tegitur ab Angelis in Dothan ne capiatur ab exercitu regis Syriæ, 2. Regum cap. 6.*

Tutus eſt inter medios leones,
Angelis ſeptus Daniel Propheta.
Sic tegit ſemper Deus his miniſtris
Omnia noſtra.

*3. Conſeruatio Danielis in ſouea leonũ, Dan. 6.*

*Epiphonema & applicatio exemplorum.*

Hoc tuum munus celebramus vna:
Et tibi noſter chorus, angelique
Gratias dicunt ſimul accinentes
Conditor alme.

*Peroratio. Ideo ſemper laudemus angelos quos Deus nobis protectores donat: Repetitur propoſitio: Nos etiam angelis nobis accinentibus tibi Deo agimus gratias.*

Et tuo templo vigiles vt addas

*Precatio*

Angelos

Angelos ſemper, populoque gnati
Qui tui verbum colit, obſecramus
Pectore toto.

*Da Deus mi Eccleſiæ filij tui, & adhibe angelos vigiles cuſtodes & defenſores, Amen.*

## ALIVS HYMNVS DE angelis Dei, Autore IOANNE STIGELIO.

*Eſt Hymnus in angelorum laudem ſcriptus: in quo etiam præcipua commemorantur beneficia, quibus ipſi Eccleſiam Chriſti afficiunt: Sunt enim Spiritus adminiſtratorij, qui in miniſterium emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis, Hebræos 1. & iuxta Dei mandatum, Pſalm. 61.*

ANgelis hæc eſt ſacra lux adeſte
Muneris tanti memores, & omnis
Hos Deo propter tribuens honorem
Concio plaudat.

*Exordium inuitatorium ab oportunitate diei ſacræ angelis. Propoſitio. Agamus feſtum diem angelorum, modus, 1. recordatione angelorum nobis donatorum. 2. Gratiarumactione & agnitione donatoris.*

Spiritus rerum Deus hos creator
Finxit, atque illis ſapientis ignem
Mentis afflauit, voluitque recti
Eſſe miniſtros.

*Confirmatio. Ab ipſorum præſtantia & dignitate. A definitione cauſali. Quia ſunt ſpiritus creati a Deo, ſapientia diuina donati, vt ſint miniſtri Dei & hominum in eo, quod rectum & iuſtum eſt.*

Ergo verſantur vigiles parentis
Ante conſpectum, capiuntque læti
Iuſſa

*Ab ipſorum beatitudine, quæ eſt frui con*

Iuſſa mandantis, Dominoque toto
Aethere plaudunt.

*ſpectu Dei, & ſtudio obſequendi Deo conditori, & promptis lætiſque animis faciendi iuſſa diuina.*

Heu quod infeſti rabies Draconis
Angelis tantas mouet vſque pugnas,
(a) Qui ſciens primus proprio furore
Perdidit orbem.

*Amplificatio commemorationis beneficiorum angelicorum per contentionem, cuius membrum prius eſt de ingenti ſtudio, & conatu diaboli nocendi Eccleſiæ perdendique eam.*

*Exclamatio Pathetica, quod multum faciat negotij bonis angelis.*

*(a) quia eſt autor interitus primorum hominum, & poſteritatis eorum.*

Ille funeſtis agitatus iris,
Inuidens Chriſto, fore iam minatur
Iordanis totas ſitiens vt alti
Sorbeat vndas.

*Cauſæ impulſiuæ ira, rabies, inuidia. Comminatio terroris plena: minatur ſe totum humanum genus, omnemque populum electum perditurum eſſe, Iob cap. 40.*

(b) Circuit mundum, fremit hic & illic
(c) Faſcinat mentes, varieque ſudat
Vt pios cultus abolere poſſit
Omnia turbat.

*(b) Vagatur & obambulat in terra vt ipſe de ſe ait, Iob 1. Circuit vt leo rugiens, 1. Petri 5.*

*(c) falſa doctrina, commentis humanis, enthuſiaſmis illuſionibus ſuis & ementitis miraculis.*

*Cauſa finalis: omne eius ſtudium & ſollicitæ actiones ſpectant eo vt veri cultus, qui debentur Deo tollantur, & homines in idololatria pereant.*

Diſſipat leges: ſerit inter vrbes,
Inter agnatos fera bella reges:
Omne

*διαμερισμὸς actuū dia-*

Omne graſſator ſcelus imparatis
Mentibus inflat.

*bolicorum, & malorum quæ autore diabolo ſocietati humanæ nocent.*

*Bonas leges tollit: eſt autor bellorum, ſeditionum & ſcelerum omnium.*

Concitat ventos, ſubruitque nymbos:
Grandines ſpargit, ſata culta vaſtat:
Inficit nubes, variiſque ſternit
Corpora morbis.

*Hæ ſpecies pro omni genere nociuorũ meteororũ ponuntur.*

*Autor eſt peſtilentiæ & morborum lethalium.*

Concitat ſæuos odiis tyrannos,
Vt fremant, vt bella piis minentur,
Vt Deũ oppugnent, miſereq; Chriſti
Membra trucident.

*Accendit tyrannorũ animos vt ſæuiant in Eccleſiam Dei, vt Neronis, Diocletiani.*

At pios Chriſto duce ſub potente,
Ipſe quorũ omnes numerat capillos,
Angeli ſeruant, reprimuntque ſæuum
Fortiter hoſtem.

*Poſterius membrum inſtitutæ contentionis eſt commemoratio beneficiorum, quibus nos boni angeli iuuant & ornant, hæc Satanæ actionibus recte, vt contraria opponuntur.*

1. *Seruant pios.*
2. *Repellunt ab eis.*

Non minus mundũ peragrant & ipſi:
Et truci claudunt aditum draconi:
Aſſerunt veros, retinentque pugna
Vindice cultus.

*3. Præcludũt aditum ad bonos.*

4. *Cultus veros qui Deo debentur vindicant & tuentur.*

Conferunt pacem, cohibentque lites:
Prouehunt leges, ſacra iura firmant:
Amo-

*5. Pacis autores ſunt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0160-4

Amouent morbos: referũtq; Chriſto
Vota piorum,

*nes prohibent, tollunt. 7. Ferunt ſalutares leges. 8. Stabiliunt iura publica. 9. Tollunt & repellunt morbos & mala pœnæ. 10. Pro Eccleſia orant.*

Liberāt preſſos, reprimunt tyrannos;
Ad latus nobis habitant, & aſſunt
Ad caput ſemper vigiles, piiſque
Cuncta miniſtrant.

*nos & impios eorum conatus impediunt. 13. Vt fideles miniſtri nobis perpetuo aſſunt. 14. Excubias pro nobis agunt. 15. Omnia ad hanc & futuram vitam neceſſaria pijs ſuppeditant.*

Angelis ſepti pueri miniſtris
Fulmen ardentis ſuperant camini:
Angelis ſeptus Daniel leonum
Effugit iram.

*tres illi erant coniecti, tecti ab angelo, Daniel. 4. Daniel. 6.*

Angeli regnum (e) Achazidis gubernant:
Angeli Lothon Sodomæ tuentur:
Angelis cinctus nihil extimeſcit:
Omnia vincit.

*caſtris, 4. Regum 19. (e) Ezechiæ filij Achas. Geneſ. 19.*

Angelis curæ genus eſſe noſtrum
Qui Deum vero colimus timore
Aſpice, exemplis probat hæc abunde
Pluribus ætas.

*docent pios eſſe Deo & angelis eius curæ.*

Quando crudeles alias tyrannos
Sæuius dirus furor incitauit,

Vt ſa-

*6. Diſſidia, bella contentio-*

*11. Ex malis eripiunt bonos. 12. Repellunt tyran*

*Confirmatio per paradigmata. In quem*

*Quando angelus Domini percuſſit exercitum Aſſyriorũ in*

*Accommodatio exemplorũ omniũ temporũ, quæ*

*Repetitur beneficium ſingulare*

Vt ſacro ſiccas repleant piorum
Sanguine fauces.

*& expolitur: Cavent angeli ne tyranni ſitientes ſanguinem piorum, & in eos concitati, ipſis noceant, & pro illis contra hoſtes pugnant.*

At vetat cœtus ſacer Angelorum,
Qui pios circumuolitant frequentes,
Et manu noſtros alacres in hoſtes
Vindice pugnant.
Hinc nihil pactis Epicurus armis,
Qui ſedet Romę, infatuatque reges:
Hinc nihil nobis inimicus omnis
Efficit hoſtis.

*Fide & opera angelorum efficitur, vt nihil hoſtes Eccleſiæ aduerſus eam valeant.*

Quas tibi rerum ſapiens creator
Gratias digno peragamus ore:
Heu ſitum non eſt id in eloquentis
Vllius ore.

*Peroratio. Eſt gratiarum actio figurata interrogatione & adynato.*

Nos tuam ad viuam faciem creaſti:
Nos ab æterna ſtyge liberaſti:
Inſuper noſtro lateri miniſtros
Cœlitus addis.

*Ratio. Quia maiora ſunt Dei beneficia, quam vt pro illis dignas gratias referre queamus.*

*Tria maxima ſunt: 1. Creatio. 2. Redemptio. 3. Defenſio angelica.*

Chriſte tu noſtros animos guberna,
Vt tibi grati placeamus vni:
Ne tuos vnquam vitioſa lædat
Vita miniſtros.

*Precatio. Petit nos regi a Deo, vt grata ipſi dicamus & agamus: & nulla peccati turpitudine offendamus & repellamus ſanctos miniſtros angelos.*

*Hymni*

# HYMNI DE TEMPORIBVS CANONICARVM PRECUM, autore S. AMBROSIO.

## *Carmine Iambico Dimetro.*

*Hic primus Hymnus eſt nocturnus, & continet preces matutinas vel antelucanas, vt eas Plinius Iunior appellauit. Et eſt Petitorius.*

*Locus eſt de inuocatione Dei, quæ etiam ante lucem, quando de lecto ſurgimus, & ad operas noſtras acceſſuri ſumus, fieri debet, vt felici omine auſpicemur omnia.*

SOmno refectis artubꝰ,
Spreto cubili ſurgimus,
Nobis Pater canentibus
Adeſſe te depoſcimus.

*Propoſitio precationis eſt. Adeſto nobis Domine cum te canimus & celebramus. Addita eſt circumſtantia temporis & loci: & quidem hoc tempore, quo primum de quiete & lectulo ſurreximus. Notatur quoque effectus & vſus ſomni: eo enim laboribus diurnis defatigata membra reficimus, & vires reparauimus.*

Te lingua primum concinat:
Te mentis ardor ambiat,
Vt actuum ſequentium
Tu ſancte ſis exordium.

*Ratio petitionis ab honeſto. Quia hoc agimus, vt tuas laudes Pſalmis prædicemus, & vero mentis ardore inuocemus. Alia ratio, quia volumus initium diurnarum actionum & laborum a te ducere, ſine quo omnia infeliciter auſpicata infelices ſucceſſus ſunt habitura.*

Cedant tenebræ lumini,
Et nox diurno ſideri
Vt culpa quam nox intulit
Lucis labaſcat munere.

*Alia precatio allegorica. Abſit ignoratio cæcitas, lex, peccatum, ira, damnatio, & dent locum Chriſto, noticiæ Dei, illumina-*

*illuminationi verbi, Euangelio, gratiæ, ſaluti. Ab effectu eius, vt peccatum in quod nocte incidimus, luce verbi & gratiæ remittatur, tollatur.*

Precamur idem ſupplices
Noxas vt omnes amputes:
Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.

*Deprecatur culpam, petitque condonationem delicti.*

*A fine vtili: vt in gratiam recepti perpetuis laudibus te ornemus.*

## HYMNVS, QVI SVB PRImam, ad piorum patrum inſtitutionem canitur, eiuſdem autoris.

*Eſt quoque Precatorius, Multas προσευχὰς comprehendens. Canitur ſub ortum ſolis, & poteſt dignari nomine precum ſublucanarum.*

IAm lucis orto ſidere,
Deum precemur ſupplices,
Vt in diurnis actibus
Nos ſeruet a nocentibus.

*Prima προσευχή. Rogamus Deum, vt cum facimus opera vocationis, regat nos & tueatur contra omnia mala, & potiſsimum peccata.*

*Tempore ortus ſolis ad orandum inuitamur. Allegorice iam nato Chriſto & lucente in cordibus noſtris, hanc lucem ſequitur vitæ pietas.*

Linguam refrenans temperet
Ne litis horror inſonet:
Viſum fouendo contegat,
Ne vanitates hauriat.

*Secunda petitio. Moderare & frena linguam noſtram ne petulantia aut conuicijs nobis moueat lites, & quies noſtra turbetur.*

*Tertia. Tege & auerte oculos potiſsimum mentis ne vana percipiant, hoc eſt, corruptelas doctrinæ de Deo & moribus, quæ ſunt mendacia, Prouerb. 30. Pſal. 119.*

Sint pura cordis intima:
Abſiſtat & vecordia:
Carnis terat ſuperbiam
Cibi potuſque parcitas.

*Quarta. Da cor mundum, a peccatorum labe & reatu liberatum, neque hypocriſi aut prauis affectibus contaminatum.*

*Quinta. Da mentem moderatam & intelligentem ſermones & voluntatem tuam.*

*Sexta. Effice per ſpiritum tuum, vt modeſtia & temperantia vitæ agnoſcamus noſtram infirmitatem, non tentemus maiora viribus, ne viuamus ſecuri, & ſine tui timore.*

Vt cum dies abſceſſerit,
Noctemque ſors reduxerit
Mundi per abſtinentiam
Ipſi canamus gloriam.

Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli filio,
Cum Spiritu paracleto
Nunc & per omne ſeculum.

*A cauſa finali honeſtæ & vtili, vt cum per mortem ex hac vita & mundo diſceſſerimus, ſalui facti, æternas tibi agamus gratias & gloriam ſempiternam tribuamus.*

## HYMNVS EIVSDEM, QVI ad tertiam horarum canonicarum in templis canitur vel oratur teſte Hieronymo, mane, id eſt, hora tertia, qua etiam Spiritus ſanctus afflauit Apoſtolos.

*Eſtque precatiuncula ad Spiritum ſanctum.*

NVnc ſancte nobis ſpiritus
(a) Vnum cum Patre & Filio,
Dignare promptus ingeri
Noſtro perfuſus pectori.

*Petimus hoc Hymno, vt Spiritus ſanctus habitet in nobis, occupet corda & mentes noſtras, & ſua gratia ita perfundat, vt nomen Dei vere agnoſcamus & conſtanter confi-*

Os, lingua, mens, ſenſus, vigor,
Confeſſionem perſonent:
Flammeſcat igne caritas,
Accendat ardor proximos.

*teamur: accendat quoque in nobis dilectionem Dei & proximi.*

*(a) eſſentia.*

Præſta Pater piiſſime,
Patrique compar vnice,
Cum Spiritu paracleto
Nunc & per omne ſeculum.

## HYMNVS AVT PRECATIO eiuſdem, eodemque carmine: canebatur ad Sextam, qua fuit tempus edendi, exemplo Petri, Actor. 10.

*Petuntur bona æterna & temporalia.*

Rector potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices (a),
(b) Splendore qui (c) mane inſtruis,
Et (d) ignibus meridiem.

*Antecedens.*

*Ab omnipotentia & beneſicentia eius, a facili.*

*(a) moderaris res viciſsitudine ortus & occaſus ſolis, & reliquorum temporum.*

*(b) Solis orientis.*

*(c) tempus ante meridianum. (d) caloribus ſolis ardentis: Es conditor & gubernator cœli & terræ.*

Extingue flammas litium:
Aufer calorem noxium:
Confer ſalutem corporum
Veramqʒ pacem cordium.
Præſta pater &c.

*Conſequens. Ergo nos iuua.*

*1. Tolle contentiones, & lites atque luctam conſcientiæ vulneratæ.*

*2. Tempera calores nimios, ne adurendo rebus creſcentibus noceant: vel tolle deſiderium rerum nociuarum.*

*3. Serua*

3. *Serua corpora ſana, & prohibe morbos, peſtes.*
4. *Da in filio ſaluatis tranquillitatem animi. Da iuſtificatis pacem, vt ſciant ſe eſſe in gratia, Rom. 5.*

## SIMILE CARMEN EIVSdem, ad nonam canendum: qua hora etiam Petrus & Ioannes orarunt, Actor. 3.

Rerum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanẽs,
Lucis diurnæ tempora
Succeſſibus determinans.

*Precatio alia eſt.*
*Deus qui es immutabilis, aeternus, viuus, & res immotas, & firmas conſeruas.*
*A facili. Es potens & bonus: efficis vt lux diurna, vtiles & ſalutares effectus habeat.*

Largire clarum veſpere
Quo vita nunquam decidat:
Sed præmiũ mortis ſacræ
Perennis inſtet gloria.
Præſta pater &c.

*Da nobis beatam veſperam, felicem obitum, Da vitam æternam & ſempiterna nos orna gloria tanquam præmio eorum, qui pie & ſancte decedunt.*

## AD COMPLETORIVM, cadente Sole canendus.

*Hymnus Petitorius. Petimus quietam & ſanctam noctem.*

Te lucis ante terminum,
Rerum creator poſcimus,
Vt pro tua clementia
Sis præſul ac cuſtodia.

*Notatio temporis, antequam occidit Sol.*
*Propoſitio. Præſis nobis, tuere & cuſtodi nos.*
*Ratio. Quia omnipotens conditor.*
*Alia, ab honeſto, quia clemens, benignus, & nos freti tua miſericordia oramus.*

Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantaſmata,
Hoſtemque noſtrum comprime
Ne polluantur corpora.
Preſta pater, &c.

1. *Prohibe nobis dormientibus horrenda & turpia ſomnia.*
2. *Effice ne nos ſpectra & phantaſmata nocturna turbent.*
3. *Depelle diabolum, conatus eius reprime.*
4. *Caſta ſit nox, & ne fœdis rebus contaminemur, abſit gonorrhæa, onirogmos.*

## CARMEN CHORIAMBIcum, deſcriptum ex prolixo Hymno Prudentii: & cani ſolet veſperi, quando incenduntur candelæ: olim canebatur ad incenſum cerei Paſchalis.

*Petitorius eſt Hymnus. Orat, ut Deus illuminet ſuos, id eſt, accendat in mentibus cætus Eccleſiaſtici per Euangelium veram lucem agnitionem ſui nominis, fidem, iuſticiam, ſanctitatem, & vitam æternam: & honorem accenſarum candelarum in teſtimonium veræ & æternæ lucis Chriſti boni faciat.*

INuentor rutuli dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora diuidis
Merſo Sole chaos ingruit horridum,
Lumen redde tuis Chriſte fidelibus,

*Propoſitio. Da Eccleſiæ tuæ lucem veram noticiam tuæ eſſentiæ, & voluntatis in verbo Euangelij: da fiduciam in te, iuſticiam, pacatam conſcientiam & initia futuræ læticiæ atque vitæ.*

*Confirmatio prima a facili. Quia omnipotens & bonus creator Solis, lunæ & omnis lucis: quia a te ſolo eſt, & datur lux omnis, monſtrans viam in vitam. Quia ſapientiæ*

*tiæ tuæ extant veſtigia in diſtinctione viciſsitudinis temporum diei & noctis.*

2. *A neceſſario. Quia Sol occidit: nox ingruit horrida: nam ſublato verbo timenda eſt magna confuſio doctrinæ, opinionum, cultuum.*

Quamuis innumero ſidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere.

*Argumentum ab honeſto ex mandato Dei per antipophoran. Eſt quidem cœlum innumeris luminibus & ſtellis ornatum & pictum: idem quoque ſole & luna conſpicuum eſt, vt alijs luminibus non videatur opus eſſe: ſed iubes tu nos ex ſilice ignem & lumen excutere.*

Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis,
In Chriſti ſolido corpore conditam,
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram:
Noſtris igniculis vnde genus venit.

*Explicatio mandati allegorica, hoc eſt, iubes nos qui ſumus tenebræ oppreſsi ignoratione, peccato & morte, ſpem luminis, id eſt, vitæ æternæ in Chriſto quærere: ex eius corpore pro nobis tradito accipere: ab ipſo vt ſolida firmaque petra & mediatore ſalutem petere, 1. Corinth. 10.*

Pingui quos olei rore madentibus
Lychnis ac facibus paſcimus aridis:
Quin & fila fauis ſcirpea floreis
Preſſo melle prius collita fingimus.

*Ab hoc Chriſto conditus eſt quoque noſter ignis quem varijs materijs alimus.*

1. *Oleo in lychnis.*

2. *Facibus aridis & lignis cauſimis.*

3. *Cereis candelis, cum fila aut ſcirpi illinuntur cera & candelæ formãtur.*

Viuax flamma viget ceu caua teſtula

4. *Linteolo pingui materia madefacto in teſtula.*

Succum linteolo ſuggerit ebrio:
Seu pinus piceam fert alimoniam
Seu ceram teretem ſtuppa calens bibit.

Splendent ergo tuis muneribus pater,
Flammis mobilibus ſcilicet atria:
Abſentemque diem lux agit æmula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.

Per Chriſtum genitũ ſumme pater tuum,
In quo viſibilis ſtat tibi gloria,
Qui noſter DOMINVS, qui tuus vnicus
Spirat de patrio corde Paracletum.

Per quem ſplendor, honor, laus, ſapientia,
Maieſtas, bonitas & pietas tua,
Regnum continuat numine triplici
Texens perpetuis ſecula ſeculis.

*5. Pingui materia & alimento tedæ, aut picis.*

*6. Cera quam calens ſtuppa attrahit, & inde ardet.*

*Ergo templa tua accenſis candelis, & luminibus plena ſunt & lucent, & quidem nocte, qua diem ardentes candelæ referunt. Quia venienti ſole, luce, abit nox, pelluntur & fugantur tenebræ, & lux ſplendet per lacerum & obſcurum velamẽ, ideſt, tenebras noctis.*

*Concluſio, qua petit eccleſia, vt Deus qui eſt vera lux, candelam in eius honorem, & in teſtimonium agnitæ veræ lucis mentes omnium illuminantis accenſam, die feſto benigniter ſuſcipiat propter Chriſtum, cuius deſcriptiones ſunt.*

*1. Quia filius patris æterni.*

*2. Quia perſona ea eſt in qua gloria patris cernitur.*

*3. Quia Dominus noſter iure creationis & redemptionis.*

*4. Quia idem Deus cum patre Spiritũ ſanctũ*

*ſpirans & emittens. 3. Quia per eum gloriam & virtutes ſuas patefaciens tota Trinitas viuit & regnat in perpetuum.*

## HYMNI SEPTEM DE TEMPORE, IN QVIBVS PER TOTAM HEBdomadam ſingula opera creationis illius diei commemorantur.

## DE DIE DOMINICO, DE opere primæ diei,

### *Carmen Iambicum, Dimetrum,*

### BEATI GREGORII.

*In ſingulis his hymnis duo aguntur. Primum deſcribitur factum Dei conditoris, aut opus creationis illius diei, ad Dei omnipotentiam, bonitatem, & ſapientiam oſtendendam. Poſtea adduntur petitiones quædam, ne mirandi Dei facti inutilis videatur recitatio.*

LVcis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis nouæ
Mundi parans originem.

*Opus primi diei eſt creatio lucis, eiuſque, id eſt, diei a tenebris, id eſt, nocte ſeparatio.*

*Orditur procreationem mundi a luce, quæ eſt ſplendidior pars diei, ſicut tenebræ obſcurior ſunt. A facili argum. Eſt creator lucis.*

Qui mane iunctum veſperi
Diem vocari præcipis:
Tetrum chaos illabitur
Audi preces cum fletibus.

*Ex veſpera & mane, vel ex nocte & die eſt vnus, id eſt, primus dies ſcilicet naturalis.*

*A neceſſario. Triſtis adeſt confuſio, aſſunt ignoratio Dei, peccata mors & alia mala. Ergo noſtras exaudi preces.*

Ne mens grauata crimine,
Vitæ ſit exul munere,
Dum nil perenne cogitat
Seſeque culpis illigat.

*Expoſitio precum.*

*1. Age nobiſcum benigniter, ne propter peccata priuemur dono vitæ æternæ. Expolitur membrum hoc: ſumus peccatores, quia mens noſtra premitur mole peccatorum, mens noſtra de rebus æternis non cogitat. Redditur culpæ & delictis obnoxia. Confeſſio eſt culpæ & deprecatio.*

Cœlorum pulſet intimũ,
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne peſſimũ.

*Da vt anima noſtra veniat in cœlum, auferens præmium vitæ æternæ.*

*Largire vt quicquid animæ & corpori nocet vitemus.*

Præſta Pater per Filium,
Præſta per almum Spiritum,
Cum his per æuum triplici
Vnus Deus cum numine.

*Clauſula inuocatoria ſanctæ Trinitatis.*

## FERIA SECVNDA HYMnus canendus, de opere ſecundæ diei.

IMmenſe cœli conditor,
Qui mixta ne confunderes,
Aquæ fluenta diuidens
Cœlum dediſti limitem.

*Secundæ diei opus eſt creatio firmamenti, quod eſt cœlum vel tota etherea regio: eſtque interſticium inter aquas, quæ ſupra cœlum & ſub cœlo ſunt.*

Firmans locum cœleſtibus,
Simulque terræ riuulis:

*Alludit ad nomen firmamenti, quod eſt firmum domicilium cœleſtium.*

*Vt etiam riuulis, aquis*

Vt vnda flammas temperet,
Terræ ſolum ne diſſipet.

*defluentibus in terram ſit firmus locus.*

*Ab vſu pluuiarum.*

Infunde nunc piiſſime
Donum perennis gratiæ,
Fraudis nouæ ne caſibus
Nos error atterat verus.

*Precatio: faue & ſis propitius nobis ſemper, aut dona nobis Spiritum ſanctum, rege nos illo.*

*Ratio a fine vtili: ne dolo diaboli ruamus & pereamus.*

Lucem fides inueniat,
Sic luminis iubar ferat,
Vt vana cuncta terreat,
Hanc falſa nulla comprimant.
Præſta Pater, &c.

*Sic luceat in nobis accenſa fides, ſic radios ſpargat. Sicque in nobis ſit efficax, vt pellat & vincat mendacia, hypocriſin, corruptelas doctrinæ, vanas opiniones & quicquid verbo veritatis repugnat.*

## HYMNVS TERTIAE FERIÆ, de opere tertiæ diei.

TElluris ingens conditor,
Mundi ſolum qui detegens
Pulſis aquæ moleſtiis
Terram dediſti immobilem.

*Opus tertiæ diei, Procreatio maris & terræ, & quidem excultæ.*

*Factum Dei. 1. creatio terræ. 2. Aperuit eam, ſeparauit aquas vt extaret* οἰκȣμένη. *3. Congregauit aquas in ſuum locum aut alueum. 4. Fundauit terram ſuper aquas. Ergo potens, ſapiens, bonus, magnus es.*

Vt germen aptum proferens,
Fuluis decora floribus,

*Cauſæ quare voluerit terræ partem, quæ inhabitanda eſſe tegi aquis, vt nempe exculta eſſet, pro-*

Fœcunda

Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtumque gratum redderet.

*ferret plantas, gramina, herbas, flores, arbores fructiferas, vnde viuerent animantia.*

Mentis peruſtæ vulnera
Munda virore gratiæ:
Vt facta fletu diluat,
Motuſque prauos atterat.

*Petitio. Ergo ſana vulnera mentis, id eſt, remitte peccata gratuita miſericordia: crea cor mundum in me: da gratiam ſpiritus tui viuidam & efficacem. Locutiones Metaphoricæ.*

Iuſſis tuis obtemperet,
Nullis malis approximet,
Bonis repleri gaudeat,
Et mortis ictum neſciat.
Præſta Pater, &c.

*Effectus ſpiritus gratiæ in pys, renatis. 1. Perpetua agnitio & deploratio peccatorum. 2. Studium cohibendi & tollendi prauos affectus. 3. Studium obediendi voluntati Dei verbo expreſſæ. 4. Fuga vitiorum. 5. Spes & expectatio futuræ lætitiæ. 6. Vita perpetua.*

## HYMNVS QVARTAE FERIÆ, de opere quartæ diei.

COEli Deus ſanctiſſime,
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.

*Opus quartæ diei eſt creatio luminarium, aſtrorum & ſtellarum in cœlo. Factum. Deus ſanctus es, &c. Qui cœlum lucidum tanquam igne, & lumine ornatũ condidiſti:*

Quarto die qui flammeam
Solis rotam conſtituens,
Lunæ miniſtras ordini
Vagos recurſus ſiderum.

*Creaſti Solis ſphæram, luminare magnum mundi. Condidiſti Lunam & ei vna ſuppeditaſti ſtellas erraticas & fixas. Ergo potens.*

Vt noctibus vel lumini,
Diremptionis terminum,

*Vſus, vt eſſent ſigna ſeparantia noctes & dies.*

Primor-

Primordiis & menſium
Signum dares notiſſimum.

*Eſſent quoque ſigna initiorum & incrementorum menſium anni, ſolarium & lunarium.*

Illumina cor hominum:
Abſterge ſordes mentium:
Reſolue culpæ vinculum:
Euerte moles criminum.
Præſta Pater, &c.

*Petitio. Illumina cor noſtrũ vero lumine Chriſti agnitione, ſole iuſticiæ, & verbo eius.*
*Purifica mentes. Remitte peccata propter Chriſtum.*

*Expolitio eſt. Tolle damnationem ad quam culpa obligamur. Quibus tanquam mole mens noſtra premitur.*

## HYMNVS FERIA QVINTA canendus, de opere quintæ diei.

MAgnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra.

*Opus quinti diei eſt creatio animalium aquatilium & volatilium.*
*Antecedens, potens eſt Deus.*
*Ratio ex facto vt ſigno.*
*Condidiſti ex aquis animalia, quorum quædam vis in aquis viuere vt aquatica, quædam attollis in aerem, aëria, volatilia*

Demerſa lymphis imprimens (a),
Subiecta cœlis irrogãs (b),
Vt ſtirpe vna prodita (c),
Diuerſa rapiant loca (d).

*Expolit alijs verbis eandem rem.*
*(a) vt aquatilia in aquis.*
*(b) vt volucres cœli.*
*(c) ex aquis nata.*
*(d) in diuerſis locis viuant, vt aquis & aere.*

Largire cunctis ſeculis
Quos mundat vnda ſanguinis,

*Petitio. Ergo, da nobis tuis ſeruis, quos ſanguine tuo, paſſione & morte in*

Neſcire

Neſcire lapſus criminum
Nec ferre mortis tædium.

*fide mundaſti, iuſtificaſti, vt ſimus vere iuſtificati, careamus omni peccato mortali.*

*Ne moriamur.*

Vt culpa nullum deprimat,
Nullum leuet iactantia,
(e) Eliſa mens ne concidat,
(f) Elata mens ne corruat.
Præſta Pater, &c.

*Ne vi peccati deijciamur in deſperationem & infernum.*

*Ne ſanctitatis opinione efferamur.*

*Repetitur alijs verbis.*

*(e) ſenſu iræ Dei tacta ruat.*

*(f) fiducia nimia efferatur & pereat.*

## HYMNVS FERIAE SEXtæ, eodem carminis genere, de opere ſextæ diei.

PLaſmator hominis Deus,
Qui cuncta ſolus ordinans
Humum iubes producere
Reptantis & feræ genus.

*Opus ſextæ diei eſt creatio animalium, greſſibilium, & reptilium in terra, Deinde formatio hominis.*

*Factum Dei. Tu ſolus ex terra procreaſti animalia reptantia & beſtias gradientes ſuper terram.*

Qui magna rerum corpora,
Dicto iubentis viuida,
Vt ſeruiant per ordinem
Subdens dediſti homini.

*Omnia quæ viuunt in mundo inferiore, ſubieciſti poteſtati hominis.*

Repellito a ſeruis tuis
Quicquid per immundiciam,

*Petitio. Da ſeruis tuis vt pia eorum ſit vita, mores ſancti, & actiones in-*

Aut moribus ſe ſuggerit,
Aut actibus ſe interſerit.

*nocentes & puræ, culpaque vacantes.*

Da gaudiorum præmia:
Da gratiarum munera,
Diſſolue litis vincula
Aſtringe pacis fœdera.
Præſta Pater &c.

*Dona tuis fidelibus læticiam vitæ æternæ.*

*Orna eos gratuitis donis tuis, vt habeant donum per gratiam.*

*Tolle lites, da pacem: vt ſit conſcientia pacata, mens ſtatuens ſe habere Deum placatum & propitium, vt fœdere & trophæo Chriſti.*

## HYMNVS SABBATO CAnendus, cuius celebratione moneamur de Sabbato creationis, redemptionis, legali & vitæ æternæ.

*Eſt Eucharisticus & Petitorius.*

DEvs creator omnium,
Polique rector veſtiens,
Diem decoro lumine (a),
Noctem ſoporis gratia (b).

*(a) ornas diem clariſsimo lumine Solis.*

*(b) Ornas noctem lumine Lunæ, vt ea a labore quieſcamus.*

Artus ſolutos vt quies,
Reddat laboris vſui,
Menteſque feſſas alleuet,
Luctuſque ſoluat anxios.

*Triplex vſus aut effectus nocturnæ quietis.*

*1. Somno reficiuntur feſſa membra, & redduntur idonea ad labores. 2. Mentes a curis & ſtudijs & cogitationibus diurnis liberantur. 3. Ceſſant dolores, luctus, anxiæ ſollicitudines, & ærumnarum eſt obliuio.*

Grates peracto iam die
Et noctis exortu preces,
Votis (reos vt adiuues)

*Propoſitio gratiarum actionis. Grato animo te celebramus.*

*Cum petitione, vt nobis*

Hymnum canentes ſolui-
mus.

*in hac euchariſtia adſis: vt ſabbatum ſanctificemus.*

Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat caſtus amor,
Te mens adoret ſobria.

*Precationes plures adduntur ſanctificandi ſabbati.*

*1. Vt corde & tota mẽte tibi gratias agamus.*

*2. Verbis & alta voce te canamus.* *3. Te vere amemus.*

*4. Caſta mente inuocemus te.*

Vt cum profunda clauſerit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras neſciat,
Et nox fideli luceat.

*5. Vt etiam nobis nocte dormientibus fides in nobis maneat, non obſcuretur, non extinguatur.*

Dormire mentem ne ſi-
nas,
Dormire culpa nouerit,
Caſtos fides refrigerans,
Somni vaporem temperet.

*6. Ne mens obliuiſcatur tui.*

*7. Dormiat potius & ceſſet omne peccatum.*

*8. Sit fides in nobis efficax, & mentes afflictas conſoletur, reficiat.*

Exuto ſenſu lubrico,
Te cordis alta ſomnient,
Ne hoſtis inuidi dolo
Pauor quietos ſuſcitet.

*9. Quieſcentibus externis ſenſibus, qui in peccata ducunt, & remotis carnis cupiditatibus, cor noſtrum te vnum tantum requirat, reſpiciat, ſomniet. Ab effectu talis quietis: ſic fit vt diabolus nos terrere non poßit, aut quietem noſtram turbare.*

Chriſtum rogemus & Pa-
trem,
Chriſti, patriſque Spiritum,
Vnus potens per omnia
Foue precantes Trinitas, Amen.

*Clauſula precatoria.*

PRECA-

# PRECATIONES SIVE ORATIONES ECCLESIASTICAE, QVAE VVLGO

collectæ dicuntur, & ſpirant adhuc Chriſtianam & Catholicam Eccleſiam, vna cum verſiculis ex verbo Dei deſumptis.

## DE TEMPORE.

## DOMINICA PRIMA Aduentus.

### VERSICVLVS.

*Vias tuas DOMINE demonſtra mihi:*

*Petitorius eſt verſiculus ex Pſal. 25. Doce me verbo & ſpiritu tuo veram rationem colendi te.*

### RESPONSIO.

*Et ſemitas tuas doce me.*

### PRECATIO.

EXcita quæſumus DOMINE potentiã tuam & veni, vt ab imminentib. peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente eripi & te liberante ſaluari. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuis & regnas Deus, &c.

*A facili, quia potens es.*

*Veni, nobis promiſſus & expectatus diu & exhibitus.*

*Propoſitio, tege, eripe & libera nos a periculis, id eſt, ex damnatione morteque æterna, quæ ſunt ſtipendium peccati. Rom. cap. 6.*

## DOMINICA II.

*Ex Sion ſpecies decoris eius:*

*Deus manifeſte veniet.*

*Propheticus eſt. Pſal. 50. De primo aduentu in carnem, & prædicatione Euangelij in Iudæa.*

*De ſecundo aduentu ad iudicium.*

EXcita DOMINE corda noſtra ad præparandas vnigeniti tui vias, vt percius aduentũ purificatis tibi mentibus ſeruiamus, Qui viuis & regnas, &c.

*Hoc fit cum agnoſcimus & deploramus delicta noſtra, & in fide petimus atque impetramus remiſſionem peccatorum propter ipſum.*

*Fructus iuſtificationis, ſeruire Deo, ſancte & pure.*

## DOMINICA III.

*Memento noſtri DOMINE in beneplacito populi tui:*

*Viſita nos in ſalutari tuo.*

*Petitorius. Pſal. 106. Miſerere noſtri & ſalua nos, & age nobiſcum illa beneuolentia, qua populum tuum complecteris.*

AVrem tuam quæſumus DOMINE precibus noſtris accommoda: & menti noſtræ tenebras gratia tuæ viſitationis illuſtra, Per Dominum noſtrum, &c.

*Exaudi noſtras preces.*

*Tolle tenebras inſcitiam, peccatum, mortem, mala: accende lucem agnitionis tuæ, fidei: da conſolationem, vitam, ſalutem.*

VEL

COncede quæſumus omnipotens DEVS, vt

*Propoſitio. Libera nos a iugo peccati & damnatione propter filium.*

qui ſub peccati iugo ex vetuſta ſeruitute deprimimur, expectati vnigeniti filii tui noua natiuitate liberemur, per eundem Dominum, &c.

*Ratio a neceſſario, quia illo oppreßi iacemus.*

*Ab honeſto & cauſa. Quia ideo natus eſt homo, vt nos ſaluet, & nos fide eum expectauimus.*

## DOMINICA IIII.

*Nolite timere puſillanimes.*

*Deus noſter veniet & ſaluabit nos.*

*Confirmatorius eſt. Eſa. 35. Sitis fortes, ne timeatis.*

*Ratio, a certitudine aduenturi Saluatoris, & auxilij.*

EXcita quæſumus DOMINE potentiam tuam, & veni, & magna nobis virtute ſuccurre, vt per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis accelerit, Qui viuis &c.

*Propoſitio. Sis nobis propitius & iuua nos.*

*A facili. Quia potens es.*

*A modo. Per gratiam.*

*Antipophora. Quamuis peccata noſtra tibi reſiſtunt.*

## IN DIE NATALI CHRISTI.

*Puer natus eſt nobis:*
*Et filius datus eſt nobis.*

*Propheticus & Euangelicus. Eſa. 9.*

*Nuncians nobis regem promiſſum ſuauem & humilem, & Dei filium veniſſe in carnem.*

DEvs, qui ſacratiſſimam noctem veri luminis

*Reddidiſti noctem claram natiuitate filij. Lu. 2.*

minis illuſtratione feciſti clareſcere: da quæſumus, vt cuius lucis myſteria in terra cognouimus, eius quoque gaudiis in cœlo perfruamur, Qui tecum viuit &c.

*Quem in verbo eius lucem veram cognouimus & credimus.*

*Propoſitio. Fac nos ſocios gaudij eius cœleſtis.*

VEL,

DA quæſumus omnipotens DEVS, vt qui noua incarnati verbi tui luce perfundimur: hoc in noſtro reſplendeat opere, quod per fidem fulget in mente, Per Dominum, &c.

*Beneficium. Donamur filio tuo, qui eſt lux vera, vel eius incarnati agnitione.*

*Declaremus ſanctitate operum, nos vere in ipſum credere, vt veræ fidei fructus in nobis videantur.*

*Verbum caro factum eſt, Halleluia.*

*Et habitauit in nobis, Halleluia.*

*Dogmaticus, Ioan. 1. Filius Dei aſſumſit naturam humanam.*

*Vixit inter homines & habitu inuentus eſt vt homo, Philip. 2.*

COncede quæſumus omnipotens DEVS, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet; quos ſub peccati iugo vetuſta ſeruitus tenet, Per Dominum &c.

*Petitio. Liberemur a damnatione peccati, per & propter Chriſtum ſaluatorem natum.*

*Antitheſis pulchra.*

## DOMINICA I. POST NATALITIA CHRISTI.

Dominus

*DOMINVS regnauit decorem indutus eſt: Indutus eſt DOMINVS fortitudinem & præcinxit ſe.*

*Laudatorius, Pſal. 93. Dominus eſt rex decorus & fortis: & eſt paratus ad iuuandos & vindicandos nos.*

OMnipotens ſempiterne DEVS dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare, Per eundem &c.

*Petit Eccleſia ſuas actiones ita regi a Deo pro eius benigna voluntate, vt in fide filij multa faciat bona opera.*

## IN DIE EPIPHANIAE.

*Tria munera obtulerunt Magi: Aurum, Thus, & Myrrham.*

*Narratiuus eſt vel hiſtoricus, Matth. 2. Liberalitas piorum erga Chriſtum & Eccleſiam egenam. Teſtimonia regni, diuinitatis & ſacerdotij humanitatis & crucis Chriſti.*

DEVS qui hodierna die vnigenitum tuum gentibus ſtella duce reuelaſti: concede propitius, vt qui te iam ex fide cognouimus, vſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur, Per eundem &c.

*Ab exemplo, pateſeciſti & oſtendiſti filium tuum ſtella duce Magis. Ergo: Da vt qui te nunc fide apprehendimus in altera vita de facie ad faciem videamus.*

## DOMINICA I. POST EPIPHANIAE FESTVM.

*Notum fecit Dominus ſalutare ſuum:*
*In conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.*

*Ætiologicus, ex beneficio Chriſti, Pſalm. 98. quia prædicando Euangelio docet viam ſalutis.*
*Etiam gentes vult in Chriſto iuſtificari.*

VOta noſtra DOMINE ſupplicantis populi tui cœleſti pietate proſequere, vt ea quæ agenda ſunt, videant, & ad implenda quæ viderint conualeſcant, Per Dominum, &c

*Orat ſibi dari & agnitionem voluntatis Dei, & facultatem perficiendi, quæ ſint ipſi grata.*

## DOMINICA II.

*Omnis terra adoret te Deus:*
*Et Pſalmum dicat nomini tuo altiſſime.*

*Pſalm. 66. Hortatur nos ad præcipuum cultum qui eſt inuocationis, & ad tribuendam gloriam maieſtati diuinæ.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui cœleſtia ſimul & terreſtria moderaris, ſupplicationes noſtras clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus, Per Dominum, &c.

*Petimus pacem Domini nobis dari, id eſt, tranquillam conſcientiam acquieſcentem in Deo reconciliato per Chriſtum, & recipiente nos in gratiam.*

## DOMINICA III.

*DOMINVS regnauit exultet terra:*
*Lætentur inſulæ multæ.*

*Pſal. 97. Hortatur vt inhabitatores terræ lætentur. Quia rex noſter non mãſit in morte, ſed regnat.*

Omni-

OMnipotens & æterne DEVS, infirmitatem noſtram propitius reſpice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ maieſtatis extende, Per Dominum, &c.

*Petitio defenſionis diuinæ.*

*Propoſitio. Tuere & tege nos omnipotenti manu tua.*

*Ratio a neceſſario. Quia infirmi egemus tua protectione.*

## DOMINICA IIII.

*DOMINE exaudi orationem meam:*

*Pſal. 102. Eſt petitio exauditionis & præparatio ad veram petitionem.*

*Et clamor meus ad te veniat.*

DEVS qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere: da nobis ſalutem mentis & corporis, vt ea quæ pro (a) peccatis noſtris nos affligunt, te adiuuante vincamus, Per Dominum, &c.

*Petit ſaluatis dari victoriam in cruce & omni lucta ſpirituali.*

*A neceſſario. Ex firmitate noſtra Deo nota.*

*(a) a cauſa vnde magnitudo crucis perſpicitur.*

*Quia victoria a Domino, 1. Cor. 15.*

## DOMINICA V.

*DOMINE exaudi orationem meam:*

*Pſal. 102. Petitio exauditionis.*

*Et clamor meus ad te veniat.*

FAmiliam tuam quæſumus DOMINE continua pietate cuſtodi, vt

*Conſeruet nos Deus in perpetuo veræ pietatis ſtudio, & tueatur nos aduerſus mala.*

quæ ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur, Per Dominum, &c.

*Ratio ab honeſto, quia a ſola ipſius gratia pendemus & auxilium expectamus.*

## DOMINICA VI.

*DOMINE exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.*

COnſerua populum tuum Deus, & tuo nomini fac deuotum, vt diuinis ſubiectus officiis, & temporalia vtiliter & æterna dona feliciter percipiat, Per Dominum &c.

*Quatuor petuntur.*
*1. Conſeruet populum.*
*2. Reddat eum ſibi addictum.*
*3. Recte vtatur bonis temporalibus.*
*4. Feliciter fruatur bonis æternis.*

## DOMINICA SEPTVAGESIMAE.

*Diligam te DOMINE virtus mea:*
*DOMINE firmamentum meum, & refugium meum, liberator meus.*

*Pſal. 18 Euchariſticus eſt.*
*Diligam Dominum.*
*Ratio ab honeſto, quia per eum ſolum ſum fortis & ſaluus.*

PReces populi tui quæſumus Domine clementer exaudi, vt qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericordia liberemur, per Dom. &c.

*Deprecatio eſt. Confitemur nos iure affligi propter peccata: ſed petimus liberationem ex malis propter Dei miſericordiam.*

# DOMINICA SEXAGESIMAE.

*Exurge Domine adiuua: Et libera nos propter nomen ſanctum tuum.*

*Pſal. 44. Petitio liberationis ex rebus aduerſis.*

DEVS qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus, concede propitius, vt contra omnia mundi pericula & diaboli tentationes tua benignitate muniamur, Per Dominum, &c.

*Precatio, contra pericula quæ pijs in mundo occurrunt, & contra inſidias atque tentationes diaboli, ne ſub illis ſuccumbamus.*

# DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

*In te DOMINE ſperaui, non confundar in æternum: In iuſticia tua libera me.*

*Pſal. 31. Petitorius eſt. Orat ſe eripi ex cruce interna & externa, ne ruat in exitium æternum.*

*Rationes ab honeſto. Quia a te ſolo expecto auxilium.*

*A cauſa. Quia tu vere iuſtus es nos iniuſti.*

PReces noſtras quæſumus Domine clementer exaudi: atque a peccatorum vinculis abſolutos ab omni nos aduerſitate cuſtodi, Per Chriſtum, &c.

*Tueatur & tegat ſuos in omni periculo.*

*Ratio a maiori: hos enim ſua benignitate captiuos ex diaboli & peccati vinculis eduxit, donauit remiſſione peccatorum, & vera libertate.*

## DOMINICA I. QVADRAGESIMAE.

*Inuocauit me & exaudiam eum:* *Pſal. 91. Promiſſorius eſt & conſolatorius.*

*Eripiam eum, & glorificabo eum.*

DEvs qui peccatis noſtris offenderis: & pœnitentia atque fide in Ieſum Chriſtum placaris: preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, auerte. Per eundem Dom. &c.

*A natura Dei, odit iniquitatem.*

*Ab effectu meriti Chriſti, & veræ fidei.*

*Precatur vt tollat pœnæ flagellum benigniter.*

*Confeſſio in ſtatu deprecationis.*

## DOMINICA II. QVADRAGESIMAE.

*Ad te DOMINE leuaui animam meam.* *Pſal. 25. Petitorius eſt: ne ſinas preces meas eſſe irritas.*

*DEVS meus in te confido, non erubeſcam.* *Rationes ab honeſto. Quia tota mente ad te reſpicio. Quia totus a te pendeo tibique fido.*

DEvs qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriusque cuſtodi, vt ab omnibus aduerſitatibus muniamur in corpore, & a praui co-

*A neceſſario, quia infirmi ſumus.*

*Propoſitio. Tuere corpus contra mala externa: purga mentem ab internis malis, quæ ſunt praui affectus.*

uis cogitationibus mundemur in mente, Per Dominum, &c.

VEL,

DEVS, qui delinquentes perire non pateris, donec conuertantur & viuant: debitam quæſumus peccatis noſtris ſuſpende vindictam: & præſta propitius ne diſſimulatio cumulet vltionem, ſed tua pro peccatis miſericordia ſemper abundet, Per Dominum, &c.

*A bonitate Dei, neque vult, neque admittit ex infirmitate delinquentium mortem.*

*Propoſitio cum occupatione. Iuſte quidem punimur quia peccauimus: ſed tu pœnam tolle.*

*Noli tarditatem pœnæ grauitate compenſare.*

## DOMINICA III. QVADRAGESIMAE.

*Ad te leuaui oculos meos:*

*Qui habitas in cœlis.*

*Pſal. 123. Eſt Ætiologicus. Ideo miſerere mei. Quia ad te vnicum meum præſidium reſpicio. Quia es omnipotens. A facili.*

QVæſumus omnipotens DEVS vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ maieſtatis extende, Per Dominum, &c.

*Exaudi nos & potentia atque virtute tua nos contra hoſtes defende.*

## DOMINICA IIII. QVADRAGESIMAE.

*Ab occul-*

*Ab occultis meis munda me Domine:*
*Et ab alienis parce ſeruo tuo.*

*Pſal. 19. Deprecatorius: Remitte peccata, quia multa mihi ignota ſunt, & tamen peccata.*

*Serua me ne ſim contumax, ne ſinam regnare in me peccatum.*

CONcede quæſumus omnipotens DEVS, vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus, Per Dom. &c.

*Petitur gratuita conſolatio, quæ accipitur fide ad gratiam accurrente.*

*Effectus, ſub mole agnitorum peccatorum reſpiratio.*

## DOMINICA V.

*Cœli enarrant gloriam Dei:*
*Et opera manuum eius annunciat firmamentum.*

*Pſal. 19.*

*Eſt confeßio de omnipotentia & maieſtate Dei teſtimonio cœli & rerum ab ipſo creatarum.*

DEVS qui ineffabilibus mundum renouas ſacramentis, præſta quæſumus, vt plebs tua te largiente temporalibus non deſtituatur auxiliis, & te ſeruante æternis proficiat inſtitutis, Per Chriſtum Dominum, &c.

*A beneficio eius, iuſtificat & renouat ſuis myſterijs credentes.*

*Duo petuntur: præſidia temporalia in hac vita, & in bonis ſpiritualibus & æternis profectus.*

## DOMINICA VI.

*DOMINE ne longe facias auxilium tuum à me:* | *Petitorius. Aſsit Eccleſiæ ſuæ & tueatur eam.*

*Ad defenſionem meam reſpice.*

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui humano generi ad imitandum humanitatis exemplum Saluatorem noſtrum carnem ſumere & crucem ſubire feciſti, concede propitius, vt & patientiæ ipſius habere documenta & reſurrectionis conſortia mereamur, Per eundem, &c.

*Eſt aliquis vſus incarnationis & paſsionis Chriſti. proponitur nobis. Primum vt donum, ſecundo vt exemplum.*

*Duo petuntur, 1. vt eius patientiam imitemur, 2. vt cum ipſo reſurgamus in gloriam.*

## COLLECTAE PER HEBDOMADAM PASSIONIS DOmini canendæ.

### I.

*Iudica DOMINE nocentes me:*

*Expugna impugnantes me.*

*Pſal. 35. Petitio defenſionis Eccleſiæ.*

*Litiga & pugna pro me contra aduerſarios & hoſtes meos.*

DA quæſumus omnipotens DEVS, vt qui in tot aduerſis ex noſtra infirmitate deficimus, intercedente vnigeniti tui paſſione

*Neceſsitas cauſa impulſiua, quia nos infirmi, nos malis obruti, deficimus.*

*Petitio. Tu vero erige nos, refocilla & da vt*

paſſione reſpiremus, Per eundem, &c.

*reſpiremus. Ratio honeſta propter filij Chriſti interceſſionem.*

VEL,

*CHRISTVS factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem:*

*Mortem autem crucis.*

*Philippen. 2. Confeßio Eccleſiæ de obedientia & morte Chriſti.*

OREMVS. Reſpice queſumus DOMINE ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus non dubitauit tradi manibus nocentium, & crucis ſubire tormentum, qui tecum, &c.

*Propoſitio. Age curam huius populi.*

*Ratio a Chriſti beneficio. Quia tuus eſt. Nam Chriſtus pro eius redemptione non dubitauit in cruce mori.*

II.

*Eripe me de inimicis meis:*

*DOMINE ad te confugi.*

*Pſal. 143. Petitorius. Defende me contra inimicorum vim.*

*Ratio. Quia a te ſolo auxilium peto.*

OMnipotens æterne DEVS, da nobis ita Dominicæ paſſionis ſacramenta peragere, vt peccatorum noſtrorum indulgentiam percipere mereamur, Per eundem, &c.

*Da & effice vt in meditatione paßionis Chriſti remißionem peccatorum conſequamur.*

III.

*Domine*

*DOMINE exaudi orationem meam:*
*Et clamor meus ad te veniat.*

*Petitorius ſæpe repetitus.*

DEVS qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum ſubire voluiſti, vt inimici a nobis expelleres poteſtatem, concede nobis famulis tuis, vt per eiuſdem filii tui paſſionem a morte perpetua liberemur, Amen.

*A beneficio Dei, & fine ipſius.*

*Ideo paſſus eſt Chriſtus vt victo diabolo adimat omnem in nos poteſtatem.*

*Petitur fructus paſſionis, liberatio a damnatione & morte æterna.*

IIII.

*Caro mea vere eſt cibus:*
*Et ſanguis meus vere eſt potus.*

*Ioan. 6. Dogmaticus eſt. Chriſti corpus oblatum & ſanguis effuſus eſt victima propter quam recipimur in gratiam & donamur vita æterna.*

DEVS qui pro nobis ſub Sacramento mirabili paſſionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus ita nos corporis & ſanguinis ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus, Qui viuis, &c.

*Vſus inſtituti ſacramenti altaris.*

*Veneramur & pia ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti, & vera fide apprehendentes paſſionis eius finem & fructum.*

V.

*Proprio filio ſuo non pepercit Deus:*

*Rom. 8. Conſolatorius ex Dei beneficio.*

*Sed*

*Sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

*Tradidit pro nobis filium in mortem. Ergo cum ipſo donabit omnia.*

DOmine IESV CHRISTE, qui confixus clauis & ſuſpenſus pro redemptione generis humani proprium ſanguinem fudiſti, miſerere nobis oppreſſis facinore & ſorditatis, & præſta per ſanctiſſimam paſſionem & mortem tuam, contra omnes diaboli & peccatorum inſidias nos tuearis, qui mortuus es, & reſurrexiſti, & viuis Deus, Per omnia ſecula benedictus.

*A ſupplicij & mortis genere, a beneficio eius.*

*A cauſa finali.*

*Propoſitio. Tuere nos contra diaboli vim, & peccati damnationem.*

*Ratio a neceſſario, quia oppreſſi peccatis nos ſeruare non poſſumus.*

*A facili. Quia tu victor mortis, viuis & regnas.*

## VI.

*DOMINVS conterens bella:*

*DOMINVS nomen illi.*

*Oseæ 2. Teſtimonium potentiæ Dei & conſolatio, quod reſipiſcentibus velit dare pacem.*

*Ierem. 33. Quia ipſe ſolus eſt æternus, & vere exiſtit.*

DEVS qui nos ad celebrandum Paſchale ſacramentum vtriuſque teſtamenti paginis inſtruis, da nobis intelligere miſericordiam tuam, vt ex perceptione præſentium

*Doces nos verbo tuo veram rationem celebrandi Paſchatis.*

*Quia motus miſericordia paſſus es mactari Chriſtum Paſcha noſtrum.*

*Fide percipiamus dona-*

munerum firma ſit expectatio futurorum, Per Dominum, &c.

*tam victimam, remiſsionem peccatorum, & expectemus vitam æternam.*

# IN DIE PASCHATIS.

*Surrexit DOMINVS vere, Halleluia:*
*Et apparuit Simoni, Halleluia.*

*Luc.24. ἐπαγγελτικὸς de reſurrectione Chriſti.*

VEL,

*Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, Halleluia:*
*Mors illi vltra non dominabitur, Halleluia.*

*Rom. 6. Nunciatorius & conſolatorius.*
*Reſurrexit a mortuis. Ergo nos cum illo viuemus.*

DEvs qui per mortem filii tui peccatum & mortem deſtruxiſti: 2. & per reſurrectionem eius iuſticiam & vitam æternam donaſti, 3. vt a poteſtate diaboli liberati in tuo regno viueremus: concede nobis vt hæc firmiter credentes, & in fide perſeuerantes tibi ſemper gratias agamus, Per eundem, &c.

*Beneficia & fructus mortis & reſurrectionis Chriſti.*

*Petitio.*
*1. Fides.*
*2. Perſeuerantia in fide petuntur.*
*3. Gratitudo animi.*

VEL,

*In reſurrectione tua Chriſte, Halleluia.*

*Inuitatorius ad lætam Paſchatis celebrationem.*

*Cœlum & terra lætentur, Halleluia.*

DEus qui per vnigenitum æternitatis nobis aditum deuicta morte reſeraſti: vota noſtra quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando perſequere, vt & perfectam libertatem conſequi mereamur, & ad vitam proficiamus æternam, Per Dominum, &c.

*Beneficium 1. Viciſti mortem. 2. Pateſeciſti aditum vitæ æternæ. 3. Pia vota accendis in nobis, Ergo vis & potes.*

*Petitio. Da vt vere per filium liberemur, & vitam æternam conſequamur.*

VEL,

DEus qui hodiernum diem gloria dominicæ reſurrectionis illuſtras, conſerua in nouæ familiæ tuæ progenie adoptionis ſpiritum, quem dediſti, vt mente & corpore renouata puram tibi exhibeat ſeruitutem, Per Dominum, &c.

*Beneficium ex tempore: quia hoc die reſurrexiſti, hoc facto illuſtrem diem reddis.*

*Petitio. 1. Conſerua in nobis quos in familiam tuam adoptaſti Spiritum ſanctum tuum.*

*2. Eo nos rege, & totos regenera & renoua.*

*Cauſa ab vtili, vt in ſanctitate vitæ tibi vni recte ſeruiamus.*

## DOMINICA I. POST PASCHA, QVASIMODOGEN.

*Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus:*

*Paul. 1. Corinth. 5. Hortatorius.*

*Chriſtus verus agnus*

*Epulemur ei in azymis ſinceritatis & veritatis.*

*eſt mactatus in Paſchate. Ergo: Agamus dum feſtum in ſinceritate doctrinæ & veris cultibus gratitudinem declarantes.*

DEus qui Eccleſiam tuam nouo ſemper fœtu multiplicas, da famulis tuis vt ſacramentum viuendo teneant quod fide perceperunt, Per Dominum, &c.

*Auges Eccleſiam nouis creaturis ſpiritualiter renatis.*

*Ut vitæ ſanctitate doceamus nos vere credere reſurrectionis Chriſti myſterium.*

## DOMINICA MISERICORDIA DOMINI.

*Confitemini DOMINO: quoniam bonus Quoniam in ſeculum miſericordia eius.*

*Pſalm. 136. Hortatio Euchariſtica.*

*Laudate Dominum, quia benefacit nobis, & clementer agit nobiſcum.*

DEus qui in filii tui humilitate iacentem mundum erexiſti, fidelibus tuis pepetuam concede lætitiam, vt quos perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, hos gaudiis facias ſempiternis perfrui, Per Dominum, &c.

*Beneficium aut factum. Saluaſti nos propter obedientiam filij.*

*Dona nos æternæ vitæ læticia.*

*Quia ab æterna morte liberaſti nos.*

## DOMINICA IVBILATE.

*Iubilate Deo omnis terra Halleluia:*
*Pſalmum dicite nomini eius, Halleluia.*

*Pſal. 100. Hortatorius. Tota Eccleſia lætetur, & ſit grata Deo.*

DEVS qui errantibus vt in viam poſſint redire iuſticiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis: da cunctis qui Christiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta ſectari, Per Dominum, &c.

*Beneficium. Verbo tuo doces veritatem, & monſtras viam ad veram iuſticiam.*

*Da vt quæ Chriſtiano nomine ſunt indigna fugiamus, digna vero faciamus.*

## DOMINICA CANTATE.

*Cantate DOMINO canticum nouum, Halle. Quia mirabilia fecit, Halleluia.*

*Pſal. 98. Chriſtiani renati nouas laudes canant Deo. Quia in hominis redemptione mirabiliter egit.*

DEVS qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis: da populis tuis id amare quod præcipis: id deſiderare quod promittis, vt inter mundanas varietates, ibi noſtra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia, Per Dominum, &c.

*Concordia mentium eſt donum Dei.*

*1. det dilectionem mandati, quod eſt credere Euangelio.*

*2. Expetere promiſſam vitam æternam.*

*3. Vt quamuis in mundo verſemur, noſtrum tamen πολίτευμα ſit in cœlis.*

## DOMINICA VOCEM IVCVNDITATIS.

Vocem

*Vocem iucunditatis annunciate, Halleluia:*
*Quoniam liberauit Dominus populum ſuum, Halleluia.*

*Læta nunciate Eccleſiæ.*
*Quia morte & reſurrectione Chriſti liberati ſumus.*

DEus a quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, vt cogitemus te inſpirante, quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus,

*Det nobis puras cogitationes & facta carentia reprehenſione, & placentia ipſi.*

Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

## IN DIE ASCENSIONIS DOMINI.

*Aſcendit Deus in iubilatione, Halle.*
*Et Dominus in voce tubæ, Halleluia.*

*Pſal. 47. Nunciatorius de glorioſa aſcenſione Chriſti, & occupatione regni eius.*

VEL,

*Aſcendens Chriſtus in altum, Halleluia:*
*Captiuam duxit captiuitatem, Halleluia.*

*Paul. ad Epheſ. 4. Pſal. 68. Triumphat de deuicta morte, peccato, diabolo, & alijs hoſtibus Eccleſiæ, eoſque in triumpho ducit ne noceant Eccleſiæ.*

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum cœlos aſcendiſſe cre

*Credimus Chriſtum occupatis cœlis perpetuum eſſe regem, & Dominum hoſtium: Ergo da vt*

dimus : ipſi quoque mente in cœleſtib. cohabitemus, Per Dominum, &c.

*mentibus cum ipſo ſimus, corpore adhuc verſante in terra.*

VEL,

DEvs cuius filius in alta cœlorum potenter aſcendens captiuitatem noſtram ſua duxit virtute captiuam : tribue quæſumus vt dona quæ ſuis participibus contulit, largiatur & nobis Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui tecum, &c.

*Sublatus in ſummam ſublimitatem, Philip. 2. & ſedens in cœleſtibus ad dexteram Dei, Epheſ. 1.*

*Vicit mortem & diabolum, a quibus captiui tenebamur.*

*Petitur communicatio donorum, quæ nobis Chriſtus meruit ſua pugna, victoria & triumpho.*

## DOMINICA EXAVDI.

*Dominvs illuminatio mea:*
*Et ſalus mea quem timebo?*

*Pſal. 27. Vox eſt Eccleſiæ lætantis, & vincentis omnes pauores & trepidationes. Quia habet Deum conſolatorem & ſaluatorem.*

OMnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & deuotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſincero corde ſeruire, Per Dominum, &c.

*Ut voluntati tuæ moremgeramus, & tuæ gloriæ ſtudeamus.*

## IN DIE PENTECOSTES CHRISTIANORVM.

*Cor mun-*

*Cor mundum crea in me Deus, Halle.*

*Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis, Halleluia.*

*Pſal. 51. Petitorius.*

*Da cor fide purificatum a peccatis eorumque reatu,*

*Da ſpiritum conſtantem, veritatem tenentem, & dubitationibus repugnantem.*

DEVS qui hodierno die corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti: da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius conſolatione ſemper gaudere, Per Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

*Beneficium. Erudit nos ſpiritu veritatis, & ducit in omnem veritatem, Ioan. 14.*

*Duo bona petuntur. 1. vt recte de Deo ſentiamus, recte eum agnoſcamus, reiecta omni hypocriſi. 2. vt ſpiritus ſit noſter conſolator.*

VEL,

*Loquebantur varijs linguis Apoſtoli, Halle. Magnalia Dei, Halle.*

*Actor. 2. Prædicabant opera Chriſti, docebant Euangelium diuerſis linguis.*

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt claritatis tuæ ſuper nos ſplendor effulgeat: & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati ſunt ſancti Spiritus illuſtratione confirmet, Per Dominum, &c.

*Petitur donum per gratiam, vt nempe qui gratuita remiſsione peccatorum ſunt donati, ſanctificentur, confirmentur, & renouentur per Spiritum ſanctum.*

## IN DIE TRINITATIS.

*Benedicamus Patrem & Filium cum ſancto Spiritu: Laudemus & ſuper exaltemus eum in ſecula.*

*Doxologia Trinitatis.*

OMnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere: & in potentia maieſtatis adorare vnitatem, quæſumus vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis, Per Dominum, &c.

*Petitur fidei conſtantia & fructus, vt vero ſpiritu Trinitatem in vnitate veneremur, adoremus, & hac fide ſimus ſalui.*

## DOMINICA I. POST TRINITATIS.

*DOMINE in miſericordia tua ſperaui: Et exultauit cor meum in ſalutari tuo.*

*Pſal. 13. Salus Eccleſiæ eſt, quod ſperat in miſericordiam Dei, & lætatur ſe per eum eſſe ſaluam.*

DEVS ſperantium fortitudo adeſto propitius inuocationibus noſtris, vt quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus, Per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM filium

*A facili.*
*A neceſſario.*

*Petitio. Da vt mandatis tuis pareamus, & conſilia atque actiones noſtræ tibi ſint gratæ.*

filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

## DOMINICA II.

*Diligam te DOMINE virtus mea:*
*DOMINVS firmamentum meum & refugium meum.*

*Pſal. 18. Euchariſticus. Diligam & laudabo eum.*

*Ætiologiæ. Quia in ipſo ſolo ſum fortis & ſaluus.*

SAncti nominis tui DOMINE timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis, Per Dominum noſtrum, &c.

*Petitio. Accende in nobis filialem & timorem & amorem.*

*A facili. Quia tu gubernas nos.*

*Tu ſolus in dilectione conſeruas.*

## DOMINICA III.

*Reſpice in me, & miſerere mei:*
*Quoniam vnicus & pauper ſum.*

*Pſal. 25. Inuocatio eſt & querela Eccleſiæ, quæ eſt orphana & egena.*

PRotector noſter in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, vt te rectore, te duce, ſic transeamus

*Ab honeſto & facili.*

*Petitio, Rege nos, vt ita viuamus in bonis tem-*

eamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna, Per Dominum noſtrum, &c.

*poralibus, ſic illis vtamur, ut prima tamen cura ſit æternarum rerum conſequendarum & retinendarum.*

## DOMINICA IIII.

*Adiuua nos Deus ſalutaris noſter:*
*Et propter honorem nominis tui* DOMINE *libera nos.*

*Pſal. 79. Petitorius. Adiuua nos, libera nos. Ratio a cauſa finali, vt & tuum honorem tuearis, & tibi gloria tribuatur.*

DA nobis quæſumus, vt & mundi curſus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & Eccleſia tua tranquilla deuotione lætetur, Per Dom. &c.

*Petit duo: 1. vitæ curſum tranquillum. 2. vt Eccleſia læta pace ſeruiat ei.*

## DOMINICA V.

*Protector noſter aſpice Deus:*
*Et reſpice ſuper ſeruos tuos.*

*Pſal. 84. Commendat Eccleſiam protectioni & curæ diuinæ.*

OREmus. DEVS qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti: infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, vt te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas,

*Eſaiæ 64. 1. Corinth. 2. Ab honeſto, quia pro bonis tibi debetur amor. Propoſitio. Accende amorem tui in nobis. Excellentia amoris. Præſtantia promiſſionum, vt gratiæ & vitæ*

tuas, quę omne deſiderium exuperant, conſequamur, Per Dominum, &c.

*æternæ quas in fide Deum amantes conſequuntur.*

## DOMINICA VI.

*DOMINVS fortitudo plebis ſuæ:*
*Et protector ſaluationum Chriſti ſui eſt.*

*Pſal. 28. Ætiologia eſt gratiarum actionis. Quia plebi ſuæ dat robur contra hoſtes.*

*Quia ſeruat Chriſtianos ſuos.*

DEVS virtutum, cuius eſt totum, quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis: & præſta nobis religionis augmentum, vt quæ bona ſunt nutrias, ac pietatis ſtudio quæ nutrita ſunt cuſtodias, Per Dominum, &c.

*A facili, quia in eo & ab eo ſolo omne bonum.*

*Petuntur 1. Amor in Deum.*

*2. Incrementum pietatis verorumque cultuum.*

*3. Sit in nobis efficax augeat bona nobis data & conſeruet.*

## DOMINICA VII.

*Omnes gentes plaudite manibus:*
*Iubilate Deo in voce exultationis.*

*Pſal. 47. Hortatorius verſiculus.*

*Lætentur Chriſtiani, & gaudium ſuum applauſu manuum & voce declarent.*

DEVS cuius prouidentia in ſui diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus,

*Quæ prouidet Deus certa & immota ſunt, certitudo eſt ſumma prouidentiæ Dei.*

exoramus, vt noxia cuncta ſubmoueas, & omnia nobis profutura concedas, Per Dominum, &c.

*Petitio. Remoue a nobis quæ nocent: & dona quæ nobis ſunt vſui & ſaluti.*

## DOMINICA VIII.

*Suſcepimus Deus miſericordiam tuam:*

*In medio templi tui.*

*Pſal. 48. Confeßio fidei de bonitate Dei erga Eccleſiam: Nos qui ſumus membra tuæ Eccleſiæ firma fiducia expectamus tuam miſericordiam.*

LArgire nobis quæſumus Domine ſemper ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt propitius & agendi, vt qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te viuere valeamus, Per Dominum, &c.

*Propoſitio. Excita in nobis per ſpiritum ſanctum cogitationes pias, quibus actiones ad Dei voluntatem inſtitutæ congruant.*

*A neceſſario: Quia ſine te nihil boni poſſumus cogitare, 2. Cor. 3.*

## DOMINICA IX.

*Ecce Deus adiuuat me:*
*Et DOMINVS ſuſceptor eſt animæ meæ.*

*Pſal. 54. Eſt aſſerentis & ſe confirmantis Eccleſiæ de præſentia Dei in cruce.*

PAteant aures miſericordiæ tuæ DOMINE precibus ſupplicantium, & vt petentibus deſiderata concedas, fac eos quæ tibi ſunt placita poſtulare, Per Dom. &c.

*Audi nos.*

*Petamus & impetremus ea quæ Deo placent.*

Dominica

## DOMINICA X.

*Dum clamarem ad* DOMINVM*:*
*Exaudiuit vocem meam.*

*Pſal. 22. 31. Conſolatio ab exemplo.*
*Exaudiuit me antea. Ergo nunc quoque audiet.*

DEVS qui omnipotentiam parcendo maxime & miſerendo manifeſtas: multiplica ſuper nos gratiam tuam, vt ad tua promiſſa currentes, cœleſtium bonorum facias eſſe conſortes, Per Dominum, &c.

*A facili. Es omnipotens: ſigna ſunt quia ſæpe parcis & misereris cum poſſes punire.*

*Propoſitio. Communica nobis bona cœleſtia.*

*Ratio ab honeſto, quia promiſiſti. Quia promiſſioni credimus.*

## DOMINICA XI.

*Ad te* DOMINE *clamaui, Deus meus ne ſileas:*
*Nec diſcedas a me.*

*Pſal. 28. Petitorius. Reſponde mihi, iuua me clamantem.*

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis & vota: effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt dimittas quæ conſcientia metuit, & adiicias quæ oratio non præſumit, Per Dominum, &c.

*Maior eſt tua benignitas quam ſunt noſtra merita aut preces.*
*A facili.*

*Petitio. Remitte peccata offendentia conſcientiam.*

*Da maiora quam nos audemus petere.*

Domini-

## DOMINICA XII.

*Benedicam Dominum in omni tempore:*
*Semper laus eius in ore meo.*

*Pſal. 34. Euchariſticus: grato ore laudabo Dominum ſemper.*

OMnipotens & miſericors DEVS, de cuius munere venit, vt tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter ſeruiatur: tribue quæſumus nobis, vt ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus, Per Dom. &c.

*Verus cultus eſt donum Dei.*

*Petitio. Freti veritate promiſsionum audacter petamus promiſſa.*

## DOMINICA XIII.

*DOMINE Deus ſalutis meæ.*
*In die clamaui & nocte coram te.*

*Pſal. 88. Exemplum aſsidue & indeſinenter orantis.*

OMnipotens ſempiterne Deus da nobis fidei, ſpei & caritatis augmentum, & vt mereamur aſſequi, quod promittis, fac nos amare, quod præcipis, Per Dominum, &c.

*Petit præcipuas virtutes ſpirituales dari.*

## DOMINICA XIIII.

*DOMINE refugium factus es nobis:*
*A generatione in generationem.*

*Pſal. 90. Tu es Eccleſiæ tuæ perpetuum refugium & habitaculum. Ergo iuua.*

CVſtodi quęſumus DOMINE eccleſiam tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis & abſtrahatur a noxiis & ad ſalutaria dirigatur, Per Dominum, &c.

*Petitiones.*
*1. Conſerua Eccleſiam.*
*2. Ne ſinas incidere in mala.*
*3. Duc ad res ſalutares.*

## DOMINICA XV.

*Bonum eſt confiteri DOMINO:*
*Et pſallere nomini tuo altiſſime.*

*Pſal. 92. Euchariſticus. Laudetur Dominus.*
*Ratio ab honeſto: quia res bona eſt laudatio.*

ECcleſiam tuam Domine miſeratio continuata mundet & muniat, & quia ſine te non poteſt ſalua conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur, Per Dominum, &c.

*1. Petitur gratuita remiſſio peccatorum.*
*2. Defenſio Eccleſiæ.*
*3. Gubernatio.*

## DOMINICA XVI.

*DOMINE in auxilium meum reſpice:*
*Confundantur qui quærunt animam meam.*

*Pſal. 71. Petitur auxiliũ.*
*Pſal. 35. 70. Imprecatio contra hoſtes.*

TVa DOMINE quæſumus gratia ſemper præueniat & ſequatur, ac bonis operibus iugiter nos præſtet eſſe intentos, Per Dom. &c.

*Imploratio eſt gratiæ diuinæ in omni opere.*

## DOMINICA XVII.

*Iuſtus es DOMINE:*
*Et rectum iudicium tuum.*

*Pſal. 119. Confeßio Eccleſiæ tribuens Deo gloriam.*

DA quæſumus DOMINE populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum pura mente ſectari, Per Dom. &c.

*1. Fugiamus peccata, quæ ſunt contagia diaboli.*
*2. Mente fide purificata adhæreamus Domino.*

## DOMINICA XVIII.

*Dirigatur oratio mea:*
*Sicut incenſum in conſpectu tuo.*

*Pſal. 141. Petitorius. Veniat ad te & grata ſit oratio mea. collatio: ſicut incenſum thuris in templo eſt tibi gratus odor.*

DIrigat corda noſtra quęſumus Domine tuę miſerationis operatio: quia tibi ſine te placere non poſſumus, Per Dominum, &c.

*Rege actiones noſtras vt placeant tibi.*

## DOMINICA XIX.

*Si ambulauero in medio vmbræ mortis:*
*Non timebo mala.*

*Pſal. 23. Pars eſt beatitudinis piorum. Etiam in morte nulla timent mala, propter Dei præſentiam.*

OMnipotens & miſericors DEVS, vniuer-

*Petitur ἀναίρεσις κακῶν & θέσις ἐυεργ-*

ſa nobis

ſa nobis aduerſantia propitiatus exclude, vt mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt liberis mentibus exequamur, Per Dominum, &c.

*γετημάτων.*

*Finis, ſpontanea obedientia.*

## DOMINICA XX.

*Oculi omnium in te ſperant DOMINE:*
*Et tu das illis eſcam in tempore.*

*Pſal. 145. Confeſſio benignitatis Dei.*

*Alit omnes qui ſperant in ipſum.*

LArgire quæſumus Domine fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, vt pariter ab omnibus mundemur offenſis, & ſecura tibi mente deſeruiatur, Per Dominum noſtrum, &c.

*1. Petitur remiſſio peccatorum.*

*2. Pax conſcientiæ.*

*Ab vtili, vt tranquilla mente ſeruiatur ei.*

## DOMINICA XXI.

*In ſalutari tuo anima mea:*
*Et in verbo tuo ſuper ſperaui.*

*Pſal. 119. Vox eſt vere credentis verbo Dei, & expectantis ſalutem a Deo.*

FAmiliam tuam quæſumus DOMINE continua pietate cuſtodi, vt a cunctis aduerſitatibus te protegente ſit libera & in

*Petitur defenſio Ecclesiæ.*

*Cauſa, vt libere ſeruiat cultibus diuinis.*

omnbus actibus tuo nomini ſit deuota, Per Dominum, &c.

## DOMINICA XXII.

*Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.*
*Et ſalutare tuum da nobis.*

*Pſal. 85. Petitur vt ſaluet nos per miſericordiam ſuam.*

DEVS refugium noſtrum & virtus adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus, autor ipſe pietatis, & præſta vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, Per Dominum, &c.

*Petit vt piorum votorum compotes reddamur.*

## DOMINICA XXIII.

*Si iniquitates obſeruaueris DOMINE:*
*DOMINE quis ſuſtinebit?*

*Pſal 130. Confeſſio per occupationem.*
*Antecedens. In iudicio & ira Dei aduerſus peccatum, nemo poteſt ſubſiſtere.*

ABſolue queſumus DOMINE tuorum delicta populorum, vt a peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus tua benignitate liberemur, Per Dominum, &c.

*Conſequens. Ergo, tu remitte peccata, & ſolue vinculum peccati, id eſt, reatum, damnationem & mortem tolle propter benignitatem tuam.*

## DOMINICA XXIIII.

*In Deo laudabimus tota die:*

*Pſal 44. Hypoſcheſis gratiarumactionis pro ſaluata Eccleſia.*

*Et nomini tuo confitebimur tota die.*

EXcita quæſumus DOMINE tuorum fidelium voluntates, vt diuini operis fructum propenſius exequentes pietatis tuæ remedia maiora percipiant, Per Dom. &c.

*Erudiat nos Deus, vt voluntatibus operis eius, redemptionis & ſaluationis fructus intelligentes inde remedia ſalutaria accipiamus.*

## DOMINICA XXV.

*Benedixiſti DOMINE terram tuam:*

*Auertiſti captiuitatem Iacob.*

*Pſal. 85. Prædicatio beneficiorum Dei.*
*1. Benedictio, ſalus.*
*2. Liberatio ex captiuitate diaboli.*

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui per gratiam tuam corporibus mederis & mentibus: maieſtatem tuam ſupplices exoramus, vt vnigeniti filii tui meritis placatus, & præſentia nobis ſubſidia tribuas & futura, Per eundem Dominum, &c.

*Petitio. Da nobis ad hanc & futuram vitam ſubſidia neceſſaria.*
*Ratio a facili, quia es medicus ſingularis corporis & mentis.*
*Quia nunc es nobis placatus, ergo vis.*

# ORATIONES DE SANCTIS.

## IN DIE NATALITIO IOANNIS BAPTISTAE.

*Fuit homo miſſus a Deo: Cui nomen erat Ioannes.*

*Ioannis 1. teſtimonium dignitatis miniſterij Baptiſtæ: quia Deus miſit eum, vt teſtaretur de lumine Chriſto.*

PRæſta quæſumus omnipotens DEVS, vt familia tua per viam ſalutis incedat: & beati Ioannis præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum quem prædixit ſecu ra perueniat, Per Ieſum Chriſt. Do. noſtrum filium tuum, Qui tecum viuit, &c.

*Petitio. Duc nos in viam qua itur in vitam.*

*Pareamus monitionibus Ioannis, quæ ſunt, vt agamus pœnitentiam, accedamus ad agnum Chriſtum.*

## IN DIE PETRI ET PAVLI.

*In omnem terram exiuit ſonus eorum: Et in fines orbis terræ verba eorum.*

*Pſalm. 19. Roman. 19. Teſtimonium de prædicatione Euangelij in toto mundo.*

*De officio Apoſtolorum.*

DEVS qui Eccleſiam tuam Apoſtoli tui Petri fidei & nomini conſecraſti: quique illi beatum Paulum ad prædicandum gentibus gloriam tuam ſociare dignatus es: concede vt omnes qui Apoſtolorum tuorum memoriam agimus ſpirituali remuneratione

*Quia ſuper fidem & confeſſionem eius de filio Dei tanquam ſuper Petram ædificaſti Eccleſiam, Matth. 16.*

*Laus eorum ab officio Apoſtolico & diuina vocatione.*

*Petitio. Da vt in hac Sanctorum doxologia ornemur donis ſpiritualibus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0214-4

ratione ditemur, Per Dominum, &c.

*fidei, dilectionis, inuocationis & confeſsionis.*

## IN DIE MAGDALENAE.

*Dimiſſa ſunt ei peccata multa:*
*Quoniam dilexit multum.*

*Lucæ 7. Quia vere agnoſcit & credit in Mediatorem, & edit fructus pœnitentiæ dignos. Ideo audit, fides tua, &c.*

LArgire nobis clementiſſime Deus, vt ſicut Maria Magdalena Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM ſuper omnia diligendo ſuorum obtinuit veniam peccatorum: ita nos quoque apud tuam miſericordiam perpetuam impetremus beatitudinem, Per eundem Dom. &c.

*Petitio. Fac nos participes æternæ beatitudinis.*

*Ratio a facili, ab exemplo. Quia Magdalenam donaſti remiſsione peccatorum & vita.*

*Cauſa. Quia fide ſaluata dilexit Chriſtum.*

## IN DIE LAVRENTII.

*Gloria & honore coronaſti eum Domine:*
*Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.*

*Pſal. 2. ad Hebræ. 2. Prædicatio dignitatis ſanctorum Dei, donatorum gloria æterna & vita cœleſti.*

*Quamuis eſt allegoria de Chriſti exaltatione & gloria.*

DA nobis quæſumus omnipotens DEVS

*Petitio. Da vt flammas cupiditatum & pec-*

 vitiorum

vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare, Per Dominum, &c.

*catorum in nobis extinguamus.*

*Ratio ab exemplo. Quia te dante Laurentius grauiſsimos cruciatus ſuſtinuit & vicit.*

## DIE ASSVMPTIONIS MARIAE.

*Aue Maria gratia plena:*

*Luca 1. Salutatio angelica.*

*DOMINVS tecum.*

VEneranda nos Domine beatæ Mariæ feſtiuitas lætificet, quæ mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit: quæ filium tuum de ſe genuit incarnatum & credidit ſaluatorem, Per Dominum noſtrum, &c.

*Vera eſt doxologia ſanctorum.*

*Lætis animis celebremus diem Mariæ ſacrum.*

*Ratio. Quia credimus ipſum quamuis mortuum, viuere & mortem in æternum non guſtaſſe.*

*Confirmatio. Quia vera fide agnouit, credidit, & apprehendit filium ſaluatorem ſuum.*

## DE SANCTO BARTHOLOMAEO.

*Nimis honorati ſunt amici tui Deus:*

*Valde honorati ſunt, donati gloria & vita æterna.*

*Nimis confortatus eſt principatus eorum.*

Omnipo-

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui vnius diei venerandam ſanctamque læticiam in beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtiuitatibus tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit, Per Dominum, &c.

*Lætantur pÿ recordatione beneficiorum, quibus Deus ſanctos ſuos in hac & altera vita ornauit.*

*Vſus doxologiæ, imitemur fidem & prædicemus profiteamurque doctrinam de CHRISTO, quam ipſi docuerunt.*

## NATIVITATIS MARIAE.

*Aue Maria gratia plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.*

*Repetitio ſalutationis angelicæ, Lucæ 1. Teſtimonium beatitudinis virginis Mariæ.*

FAmulis tuis DOMINE cœleſtis gratiæ munus impartire, vt quibus beatæ Mariæ virginis partus ſalutis extitit exordium, natiuitatis eius votiua ſolennitas pacis tribuat incrementum, Per Dominum noſtrum, &c.

*Petitio.*

*Benigniter effice vt in nobis per Chriſtum fide iuſtificatis creſcat pax, tranquillitas conſcientiæ, ſalus, gaudium & læticia in Deo.*

## IN DIE S. MICHAELIS.

*Benedicite DOMINO omnes angeli eius:*

*Pſal. 103. Hortatorius & laudatorius verſiculus. Laudent Dominũ angeli.*

*Potentes virtute, qui facitis verbum eius.*

*Laus, quia præſtant virtute, quia obediunt Deo.*

DEvs qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas: concede propitius vt a quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra noſtra vita muniatur, Per Dominum, &c.

*Petitur Angelorum caſtorum defenſio.*

*Ratio, ab officio illorum. Quia creati ſunt ideo vt miniſtrent Deo in cœlis & pijs in terra.*

## IN DIE SANCTI LVCAE.

*In omnem terram exiuit ſonus eorum:*

*Pſal. 18. De Euangelij voce in toto mundo ſonante.*

*Et in fines orbis terræ verba eorum.*

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt ſicut deuote populus tuus ſancti Lucæ Apoſtoli & Euangeliſtæ temporalem ſolennitatem obſeruat · ita perfruatur æterna, & quod votis amantiſſime celebrat, pio comprehendat affectu, Per Dominum noſtrum, &c.

*Occaſio petitionis ex tempore feſto.*

*Petitio. 1. Da vt æterna beatitudine fruamur. 2. vt affectus celebrationi externæ congruant.*

## IN DIE SIMONIS ET IVDAE.

*Conſtitues*

*Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram:*
*Memores erunt nominis tui* DOMINE.

*Pſal. 45. Beatitudo ſanctorum, qui ſunt Domini ſummi in peccatum, diabolum, mundum.*

*Promiſsio gratitudinis.*

DEVS qui nos per beatos Apoſtolos tuos Simonem & Iudam ad agnitionem tui nominis venire tribuiſti: da nobis eorum gloriam ſempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere, Per Dominum, &c.

*Effectus miniſterij prædicationis, vt ducamur ad agnitionem maieſtatis Dei.*

*Cauſa doxologiæ laudemus ſanctos, vt eorum exemplo in pietate proficiamus.*

## IN DIE OMNIVM SANCTORVM.

*Exultent iuſti in conſpectu Dei:*
*Et delectentur in lætitia.*

*Pſal. 68. Precatur iuſtis, id eſt, iuſtificatis, receptis in gratiam, vitam & lætitiam æternam.*

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui nos omnes ſanctos tuos ſub vna tribuiſti celebritate venerari: quæſumus vt deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis fidei & virtutum exemplis largiaris, Per Dominum noſtrum, &c.

*Occaſio petitionis ex celebratione diei feſti.*

*Petitio. Ita exuberet tua miſericordia, vt augeas in nobis fidem & virtutes ipſam ſequentes.*

## IN DIE ANIMARVM.

*Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt:*
*Et non tanget illos tormentum maliciæ.*

*Sapient. 3. Deuter. 33. Gratulatorium teſtimonium, de ſtatu beatarum animarum poſt hanc vitam.*
*Sunt in tutela Dei extra omnem cruciatum.*

DEVS qui nos per os ſancti Pauli Apoſtoli tui de obdormientibus in Chriſto non contriſtandis docuiſti: præſta quæſumus vt cum omnibus fidelibus defunctis adueniente filio tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto ad æterna gaudia feliciter perducamur, Per eundem Dominum, &c.

*Conſolatio ab autoritate Pauli 1. Theſſal. 4.*

*Petimus vt cum Chriſto & omnibus reſuſcitatis in nouiſsimo die ducamur in vitæ æternæ poſſeſsionem.*

## DE S. STEPHANO.

*Captabant in animam iuſti:*
*Et ſanguinem innocentem condemnabant.*

*Pſal. 94. De crudelitate hoſtium Eccleſiæ, & fortuna iuſtorum.*

DA nobis quæſumus DOMINE, imitari quod colimus & inimicos diligere: quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro peccatoribus exorare, Per Dominum, &c.

*Petit, vt ſanctorum imitatione poſsimus diligere inimicos noſtros.*

*Ab exemplo Stephani, Actor. 7. cap.*

## DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA.

*Cibauit illum DOMINVS pane vitæ & intellectus:*
*Et aqua ſapientiæ ſalutari potauit illum.*

*Eccleſiaſtici 15. Donatus eſt vera ſapientia cognitionis & intelligentiæ verbi Dei, Chriſti, & vita æterna.*

ECcleſiam tuam quæſumus DOMINE benignus illuſtra, vt beati Ioannis Apoſtoli tui & Euangeliſtæ illuminata doctrinis ad dona perueniat ſempiterna, Per Dominum, &c.

*Petitio, vt per miniſterium & doctrinam Ioannis aſſequamur veræ lucis, id eſt, Chriſti cognitionem & fidem, & dona æterna impetremus.*

## DE INNOCENTIBVS.

*Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt:*
*Et non tanget illos tormentum maliciæ.*

*Felicitas & ſtatus piorum euocatorum ex hac vita.*

DEVS cuius hodierna die præconium innocentes Martyres non loquendo ſed moriendo con feſſi ſunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, vt fidem tuam quam lingua noſtra loquitur etiam

*Ab exemplo Martyrum Chriſti, qui propter μαρτύριον varijs cruciatuum generibus trucidati ſunt.*

*Petitio. 1. vt eius auxilio reſiſtamus peccatis. 2. vt non tantum ore profiteamur fidem Chriſti.*

vita moribus fateatur, Per Dominum, &c.

*ſed etiam vita & moribus.*

## IN DIE CONVERSIONIS PAVLI.

*In omnem terram exiuit ſonus eorum:*
*Et in fines orbis terræ verba eorum.*

DEvs qui vniuerſum mundum beati Pauli Apoſtoli prædicatione docuiſti, da nobis quæſumus, vt cuius conuerſionem colimus eius ad te exemplo gradiamur, Per Dominum noſtrum, &c.

*Paulus electum organum Dei ad prædicandum Euangelium in mundo.*

*Religioſe ſentimus de conuerſione Pauli, & pro ea Deo gratias agimus.*

*Petimus, vt pari benignitate Deus nos conuertat & faciat, vaſa miſericordiæ & ſaluet.*

## IN DIE PVRIFICATIONIS MARIAE.

*Verbum caro factum eſt:*
*Et habitauit in nobis.*

*Ioan. 1. Myſterium tantum Eccleſiæ notum. Filius Dei eſt factus homo infirmus natus ex virgine Maria.*

OREMVS: Omnipotens DEVS maieſtatem tuam ſupplices exoramus, vt ſicut vnigenitus tuus filius cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo præſentatus eſt: ita

*Exemplum Chriſti. In templo eſt Deo oblatus, vt legi ſatisfaceret, & extaret plura teſtimonia natiuitatis eius.*

*Petitio. Effice vt ſi-*

nos

nos facias tibi purificatis mentibus præſentari, & vitam obtinere ſempiternam, Per eundem Dominum noſtrum, &c.

*de purificata mente tibi tradamur & ducamur in vitam.*

## IN DIE ANNVNCIATIONIS MARIAE.

*Oſtende nobis DOMINE miſericordiam tuam:*

*Et ſalutare tuum da nobis.*

*Pſalm. 85. Petitorius eſt: ſis nobis miſericors & ſalua nos.*

DEVS qui de beatæ Mariæ virginis vtero verbum tuum angelo nunciante carnem ſuſcipere voluiſti: præſta ſupplicibus tuis, vt qui vere filium tuum a Spiritu ſancto in Maria conceptum natumq; credimus, eius filii apud te interceſſionibus adiuuemur, Per eundem Dominum, &c.

*Petitio. Sis nobis propitius propter filium tuum.*

*A voluntate eius, quia tu ideo voluiſti eum aſſumere carnem humanam.*

*Ab honeſto. Quia nos vere credimus ſanctam eius natiuitatem.*

*Quia eſt interceſſor & mediator noſter.*

## IN DIE VISITATIONIS MARIAE.

*Suſcepit Deus Iſraël puerum ſuum:*

*Recordatus miſericordiæ ſuæ.*

*Lucæ 1. Confeßio beneficij Dei, qui omnes credentes in filium, recepit in gratiam motus promiſſam miſericordia.*

DEVS

DEVS qui nos præſentem feſtiuitatem Ieſu Chriſti filii tui, & Mariæ matris eius venerari feciſti: præſta quæſumus, vt qui eiuſdem virginis humilitatis & gaudiorum, quibus Elizabet viſitauit, ſolennia celebramus, in eorum gaudiis iugiter maneamus, Per Dominum noſtrum, &c.

*Lætatur Maria de exhibito Meſsia iuxta promiſsionem & deliberatione Eccleſiæ: Nos idem faciamus in hac feſti celebratione.*

*Petimus, vt iiſdem de cauſis in fide & ſpiritu gaudeamus, & ſimus Deo grati, agnoſcentes hunc noſtrum ἀντιλήπτορα.*

## IN DIE S. MARCI.

*Conſtitues eos principes ſuper omnem terram:*
*Memores erunt nominis tui* DOMINE.

*Vide ſupra, ex Pſalmo 45.*

DEVS qui beatum Marcum Euangeliſtam tuum Euangelicæ prædicationis gratia ſublimaſti: tribue quæſumus eius nos ſemper eruditione proficere & fide fulciri, Per Dominum, &c.

*Euangeliũ quod Marcus docuit & ſcripſit erudiat nos, & in eo fides noſtra ad ſalutem confirmetur.*

## IN DIE PHILIPPI ET IACOBI.

*Cœli enarrant gloriam Dei:*

*Pſal. 19. Allegorice exponitur de ſanctis Dei, & ipſorum officio, quod*

*Et opera manuum eius annunciat firmamentum.*

*eſt prædicare magnifica Dei.*

DEvs qui nos annua Apoſtolorum tuorum Philippi & Iacobi ſolennitate lætificas: præſta quæſumus vt quorum virtutibus gaudemus, eorum inſtruamur exemplis, Per Dominum, &c.

*Lætamur primum propter Dei gloriam, qui multis donis hos miniſtros ornauit, hos Eccleſiæ dedit doctores.*

*Celebramus eorum ferias vt ad par confeſſionis & virtutum exemplum inuitemur.*

## DE APOSTOLIS.

*Exultate iuſti in DOMINO:*

*Pſal. 33. Exhortatur iuſtos, id eſt, fide iuſtificatos vt lætentur in beneficijs Dei.*

*Rectos decet collaudatio.*

*Ratio. Quia decet eós vt ſint Deo grati.*

DA nobis quæſumus æterne Deus beati N. Apoſtoli tui ſolennitate gloriari, vt illius fidei confeſſionem congrua deuotione ſectemur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

*Petitur auxilium ad Apoſtolorum fidem, confeſſionemque imitandam.*

## DE MARTYRIBVS.

*Viſi ſunt oculis inſipientium mori:*

*Sapient. 3. Aſſeueratio eccleſiæ de Martyrum occiſorum ſtatu, per occupationem.*

*Illi autem ſunt in pace.* *Iudicant inſipientes eos eſſe mortuos & miſeros. Ipſi vero felicitate fruuntur.*

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognouimus, in æterna læticia de illorum ſocietate gaudeamus, Per Dom. &c.

*Petitio: vt æterna donemur laticia, & ipſorum ſanctæ ſocietatis, participes reddamur.*

## DE CONFESSORIBVS.

*Iuſtum deduxit* DOMINVS *per viam rectam:*

*Et oſtendit illi regnum Dei.*

*Sapient. 10. Regit Deus ſanctos ſuos, vt rectam ipſius cognitionem, & colendi rationem teneant, & vere eum inuocantes videant ſalutem æternam.*

EXaudi DOMINE preces noſtras, quas in ſancti N. confeſſoris tui feſtiuitate deferimus, vt qui tibi digne meruit famulari in terris, per illius ad te exempla gradiamur, Per Domin. &c.

*Exemplo pij confeſſoris incipiamus Deo ſeruire in ſanctitate, iuſticia, & nominis eius confeſſione ferendaque cruce.*

## DE VIRGINIBVS SANCTIS.

*Specie tua & pulchritudine tua:*

*Intende proſpere, procede & regna.*

*Pſal. 45. Hac de Chriſto prophetia accommodatur ad pias virgines, quibus tribuitur pulchritudo mentis & corporis, & victoria atq; felicitas in regno Chriſti.*

OMnipotens Deus, qui infirma mundi eligis, vt fortia quæque confundas: quique inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in fragili ſexu victoriam Martyrii contuliſti: exaudi nos quæſumus, vt ſicut de beatæ virginis N. feſtiuitate gaudemus: ita piæ in te deuotionis erudiamur affectu, Per Dom. &c.

*1. Corinth. 1.*

*A facili. Quia etiam infirmo ſexui dat conſtantiam in cruce & victoriam.*

*Petitio. Da pios affectus ad te religioſe colendum, amandum & timendum.*

# ORATIONES PRO VARIIS.

## PRO PECCATORVM REMISSIONE.

*De profundis clamaui ad te DOMINE: DOMINE exaudi vocem meam.*

*Pſal. 130. Cum maximis malis premor ad te clamo, ideo exaudi me: mala ſunt peccatum, ira Dei, damnatio, crux.*

EXaudi quæſumus DOMINE ſupplicum preces: & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem, Per Dom. &c.

*Deprecamur culpam & pœnam aternam, quæ tolluntur remiſſione peccatorum.*

VEL,

PArce Domine, parce peccatis noſtris: & quamuis inceſſabiliter delinquentibus continua pœna debeatur: Præſta quæſumus vt quod ad perpetuum meremur exitium, a nobis tranſeat ad correctionis auxilium, Per Dominum, &c.

*Propoſitio, habens geminationem ex affectu.*
*Occupatio.*

*Conuerte peccatum, quod meretur æternam pœnam ad emendationem noſtram & ſalutem.*

PRO SALVTE PROXIMI.

*Iuſtus es DOMINE, & rectum iudicium tuum:*

*Pſal. 119. Orat Eccleſia pro ſalute fratris tribuens Deo gloriam.*

*Fac cum ſeruo tuo ſecundum miſericordiam tuam.*

OMnipotens DEVS, miſerere famuli tui, & dirige eum ſecundum clementiam tuam in viam ſalutis æternæ, vt te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat, Per Dominum, &c.

*Ratio præcedit, quia miſericors & clemens es.*
*Ideo 1. Duc fratrem noſtrum in rectam viam cognitionis tuæ & ducentem ad ſalutem.*
*2. Accende in eos motus tibi placentes.*
*3. Iuua vt pia cogitata de obedientia Euangelij perficiat.*

PRO PACE.

*Fiat pax in virtute tua:*

*Pſal. 122. Monet vt petamus a Deo pacem in Hieruſalem, id eſt, in Ec-*

*Et abundantia in turribus tuis.*

*cleſia propter religionem. Deinde in vita publica & priuata.*

OREMVS: Deus a quo ſancta deſideria, recta conſilia & iuſta ſunt opera: da ſeruis tuis illam, quam mundus dare non poteſt pacem, vt & corda noſtra mandatis tuis ſint dedita, & hoſtium ſublata formidine ſint tua protectione tranquilla, Per Dominum, &c.

*A facili, tria dantur a Deo, 1. boni motus. 2. recta & ſalutaria conſilia. 3. laudabilia & iuſta opera.*

*Petitio. Da pacem non mundi ſed Chriſti, Ioa. 14. Explicat, da pacem conſcientiæ tranquillæ acquieſcentis in Deo reconciliato, & voluntati eius ſeſe dantis: & ne mentes timeant hoſtes diabolum, peccatum, mortem, ſed a te tectæ ſint tutæ & ſecuræ.*

ALIA.

OMnipotens ſempiterne DEVS, qui cœleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus, Per Chriſtum Dom. &c.

*Es omnipotens. a facili. Ergo, da nobis quoque pacem externam, pacatum rerum ſtatum, vt ſalua ſit Eccleſia.*

## PRO AGNOSCENDA VERITATE.

*Ad te leuaui oculos meos:*

*Qui habitas in cœlis.*

*Pſal. 123. A te peto & expecto auxilium. Quia es omnipotens Dominus cælorum.*

INfunde quæſumus DOMINE famulis tuis ſpiritum veritatis & pacis, vt quæ tibi placita ſunt toto corde cognoſcant, & agnita tota virtute ſectentur, per eundem Dominum, &c.

*Petitio. Erudi nos ſpiritu tuo de veritate, & da pacem mentibus.*

*1. Propter cognitionem voluntatis tuæ.*

*2. Vt cum virtute agãt, id eſt, faciant quæ requiris, vel totis virib. agant, quæ ſciunt tibi placere.*

## CONTRA ADVERSITATES.

*Redime nos Deus Iſraël:*

*Ex omnibus iniquitatibus noſtris.*

*Petitorius ex Pſal. 39. Cupit tolli cauſam calamitatum, id eſt, peccata. aut petit tolli iniquitates, id eſt, pœnas peccati..*

DEVS qui contritorum non deſpicis gemitum, & mœrentium non ſpernis affectum: adeſto precibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus, eaſque clementer ſuſcipere dignare, vt quicquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur aduerſitates, ad nihilum redigatur, & conſilio tuę pietatis allidatur, vt nullis inſectationibus læſi in Eccleſia tua ſancta

*Exordium a natura & more Dei.*

*A facili. Gementes & contritos corde non repellit a ſe.*

*Præparat ad audiendum.*

*A neceſſario, quia in tribulatione oramus.*

*Propoſitio. Prohibe & tolle omnia mala, quæ contra nos cogitant, inſtituunt, & moliuntur hoſtes diabolus, & eius ſatellites.*

*A fine vtili, vt liberatĩ gratis animis tua beneficia celebremus.*

tibi

tibi gratias referamus, Per Dominum noſt. &c.

## CONTRA SVBITANEAM MORTEM.

*Qui regis Iſraël intende:*

*Pſal. 80. Petitorius. Tuere Eccleſiam tuam.*

*Qui ducis velut ouem Ioſeph.*

*Ratio ab honeſto. Quia es eius rex & paſtor.*

OMnipotens & miſericors DEVS, reſpice propitius populum tuum maieſtati tuæ ſubiectum: & ne nos furor intempeſtiuæ mortis inueniat, dextera tua propitiationis cuſtodiat, Per Dom. &c.

*Petitio. Ne ſinas nos intempeſtiua & ſubita morte concidere.*

*Rationes. Quia ſumus tuus populus, ab honeſto. Quia propitius es.*

*Quia dexteram habes & potes facere.*

*A facili. Dominus vitæ & mortis.*

## PRO CAPTIVIS.

*DOMINE exaudi orationem meam:*

*Pſal. 102. Paraſceue præcinentis Eccleſiæ.*

*Et clamor meus ad te veniat.*

DEVS qui beatum Petrum Apoſtolum a vinculis abſolutum illæſum abire feciſti, famulorum tuorum N. in captiuitate poſitorum vincula ſolue,

*A facili per paradigma.*

*Petitio. Liberet captiuum.*

noſque de illorum liberatione cito lætifices, Per Dominum, &c.

*A fine, vt lætemur & ſimus ipſi grati.*

## PRO MORITVRIS.

*Secundum multitudinem miſerationũ tuarum* D O M I N E:
*Dele iniquitates noſtras.*

*Pſal. 51. Deprecatio. Remitte nobis peccata noſtra propter tuam miſericordiam, non noſtram dignitatem.*

OMnipotens D E V S conſeruator animarum, qui quos diligis corripis, pie ad emendationem coerces: gratias agimus tibi multiplices, & confiſi de tua pietate glorioſa, precamur vt miſereri digneris famuli tui, ne præualeat aduerſarius animæ illius, ſed hæc tranſitum mereatur ad vitam æternam, Per Dominum, &c.

*A facili. Quia conditor & conſeruator animarum.*

*Occupatio. Non iraſceris ſed diligis, quem caſtigas.*

*A fine, vt emendetur. Eucharistia pro benigna caſtigatione.*

*Ratio ab honeſto. Quia nitimur tua benignitate.*

*ἔντευξις cuſtodi & tuere animam ægrotantis, & da ei felicem tranſitum in vitam.*

*A neceſſario, ne præualeat in eam Satan & auferat.*

## PRO INIMICIS.

*D O M I N E exaudi orationem meam,*
*Et clamor meus ad te veniat.*

*Exordij loco petitur auditio.*

Deus

DEvs pacis charitatiſque amator & cuſtos, da omnibus inimicis noſtris pacem, charitatemque veram, cunctorumq; eis tribue remiſſionem peccatorum: & nos ab eorum inſidiis potenter eripe, Per Dominum, &c.

*A natura Dei, amat pacem & dilectionem.*

*Interceßio Chriſtiana.*

*1. Efficiat in mentibus inimicorum, vt ament pacem, & diligant proximum.*

*2. Remittat eis peccata.*

*Petitio liberationis ab inſidijs eorum.*

## PRO CHARITATE.

*Exurgat Deus & diſſipentur inimici:*

*Et fugiant qui oderunt eum à facie eius.*

*Pſal. 68. Petitio per imprecationem, tollat Deus inimicos, & fuget oſores noſtros, vt inter nos ſit mutua charitas.*

DEvs qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe: da cordibus noſtris inuiolabilem charitatis affectum, vt deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint maleuola tentatione mutari: per Dominum, &c.

*Efficis vt bonis & diligentib. te omnia ſint bono.*

*Petitio Accende & conſerua charitatem inter fratres vt amor ille maneat firmus & conſtans a te motus.*

## PRO CASTITATE.

*Cor mundum crea in me Deus.*

*Et ſpiritũ rectum innoua in viſceribus meis.*

*Pſal. 51. Petitur regeneratio, vt cor a reatu peccatorum purgatum, nunc careat prauis cupiditatibus & libidinum flammis illicitis, vt ſit caſtum domicilium Spiritus ſancti.*

*In ſide certus, & in vita recte & ſancte incedens.*

VRe igni ſancti Spiritus renes noſtros & cogitationes noſtras, vt pudicitiæ & ſanctimoniæ nouitate refloreſcente carne noſtra tibi caſto corpore ſeruiamus & mundo corde placeamus, Per Dominum, &c.

*Accende in nobis per ſpiritum nouos & caſtos motus, & licitas appetitiones & puras cogitationes.*

*Vt ſit in nobis noua caſtitas mentis & corporis placens & pure ſeruiens tibi.*

## PRO HVMILITATE.

*DOMINE exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.*

DEVS, qui ſuperbis reſiſtis, humilibus autem das gratiam, auge in nobis veræ humilitatis virtutem, cuius formam in ſe credentib. vnigenitus tuus exhibuit, vt nunquam indignationem tuam prouocemus elati, Per eundem Dominum, &c.

*A propria Dei virtute, Iacob 4. cap. Gnome eſt.*

*Petitio. Orna nos humilitate & modeſtia vera in cogitationibus, conſilijs, opinione, ſermone, geſtu, factu.*

*Ab exemplo Chriſti, qui fuit typus modeſtiæ.*

*A periculo. Quia ſuperbi offendunt Deum.*

## CONTRA ECCLESIAE ADVERSITATES.

*DOMINE exaudi orationem meam:*

*Contra ea quæ valde premunt Eccleſiam, vt*

*Et clamor meus ad te veniat.*

ECcleſiæ tuæ quæſumus DOMINE preces placatus admitte, vt deſtructis ſpiritu oris tui hoſtibus & erroribus vniuerſis, ſecura & Chriſtiana tibi ſeruiat libertate, Per Dominum, &c.

*ſunt hoſtes impij, & errores doctrinæ.*

*Petitio. Vincat & tollat hoſtes, contradicentes Eccleſiæ, falſa dogmata & errores.*

*A fine vtili, vt his malis non turbata libere ſeruiat Deo.*

ALIA,

QVæſumus DOMINE preces noſtras (a) placatus admitte, & in protectione Eccleſiæ tuæ antiqua brachii tui operare miracula, vt antichriſti omniumque inimicorum elidas ſuperbiam, & eorum audaciam dexteræ tuæ virtute proſternas, Per Dominum, &c.

*(a) per ſatisfactionem filij.*

*A facili & modo. Quia virtute ſua multis miraculis protexit Eccleſiam.*

*Petitio. Prohibe & opprime ſuperbiam & faſtum eorum, qui tibi vita, factis, conſilijs, & falſa doctrina reſiſtunt.*

## PRO SERENITATE.

*Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam:*

*Et ſalutare tuum da nobis.*

*Pſal. 85. Age nobiſcum pro tua clementia, & ſalua nos.*

VEL,

*DOMINVS dedit benignitatem:*
*Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*

*Pſal. 85. Vox Eccleſiæ bene ſperans de Deo.*
*Dominus eſt nobis benignus, ideo dabit nobis panem quotidianum.*

AD te nos DOMINE clamantes exaudi & aëris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus, vt qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur miſericordia tua præueniente clementiam ſentiamus.

*προσευχὴ precatio. Da ſerenam tempeſtatem, tolle perturbationem cœli.*
*Anthypophora, confeßio & deprecatio. Peccatores ſumus, iure punimur, ſed tu clementer age nobiſcum.*

VEL: Vt qui pro peccatis noſtris iuſte affligimur pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

## PRO PLVVIA.

*DOMINVS dabit benignitatem:*
*Et terra noſtra dabit fructum ſuum.*

*Benignitatis Dei eſt ad vitam neceſſaria tribuere.*

DEVS in quo viuimus, mouemur & ſumus, pluuiam nobis tribue congruentem, vt præſentibus ſubſidiis adiuti ſempiterna fiducialius appetamus, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, AMEN.

*Actor. 17. Ab omnipotentia, a facili. Das nobis vitam, ergo dabis victum.*
*Petitio.*
*Vt vſu bonorum temporalium moneamur de æternis eaque cupidius expetamus.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0237-2

# LATINA LITANIA CORRECTA:

id eſt,

## SVPPLICATIO AVT SVPPLICES PRECES ECCLESIAE, QVIBVS petitur conſeruatio Eccleſiæ, politiarum & œconomiarum.

Kyrie,
Chriſte,
Kyrie,
Chriſte,

Pater de cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus ſancte Deus,
Propitius eſto,
Propitius eſto,

*Inuocatio Trinitatis, cuius opera ſunt indiuiſa, & imploratur miſericordia Dei.*

Ab omni peccato,

*Petitur remiſsio peccatorum, vt tollatur cauſa mali pœnæ.*

Ab omni errore,

*In doctrina, cultibus, & vita.*

Ab omni malo,

*γενικὸν, Ab omni malo ſpirituali & corporali.*

Ab inſidiis diaboli,

*Diſtributio malorum.*

*1. A diabolo, qui eſt πονηρὸς.*

A ſubitanea & improuiſa morte,

*2. Subita mors.*

A peſte

Eleiſon.
Eleiſon.
Eleiſon.
Exaudi nos.

Miſerere noſtri.
Miſerere noſtri.
Miſerere noſtri.

Parce nobis Domine.

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Libera

| | | |
|---|---|---|
| A peſte & fame, | 3. 4. Flagella Dei ſunt, | Peſtilentia. Fames. |
| A bello & cæde, | 5. 6. | Bellum. Internecio hominũ. |
| A ſeditione & ſimultate, | 7. 8. | Odia & inimicitiæ. |
| A fulgure & tempeſtatibus, | 9. Meteora calamitatem afferentia. | |
| A morte perpetua, | 10. Quæ eſt ſtipendium peccati Paulo. | |
| Per myſterium ſanctæ incarnationis tuæ, | 1. Cauſæ exauditionis, propter Chriſti merita & ſatisfactiones. | |
| Per ſanctam natiuitatem tuam, | 2. Propter Chriſtum pro ſalute noſtra incarnatum, &c. | |
| Per baptiſmum, (4.) ieiunium, & (5.) tentationes tuas, | 3. 4. 5. Baptiſmi ſigno teſtatur Chriſtus, ſe nos recipere in gratiam. | |
| Per agoniam & ſudorem tuum ſanguineum, | 6. In agone ille ſudauit θρόμβους. | |
| Per crucem & paſſionem tuam, | 7. Ideo paſſus &c. vt nos exaudiret, ſaluaret | |

*his ſolis cauſis impetrantur omnia a Deo.*

| | |
|---|---|
| Per mortem & ſepulturam tuam, | 8. Mors. 9. ſepultura. |
| Per reſurrectionem & aſcenſionem tuam, | 10. Victoria. 11. Triumphus. |
| Per aduentum Spiritus ſancti paracleti, | 12. Miſsio Spiritus ſancti. |
| In omni tempore tribulationis noſtræ, | Circumſtantia temporis. Quando? Omni tem- |

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

Libera nos Domine.

In omni tempore infelicitatis noſtræ,
In hora mortis,
In die iudicii,
Peccatores
Vt Eccleſiam tuam ſanctam Catholicam regere & gubernare digneris,
Vt cunctos Epiſcopos, paſtores, & miniſtros Eccleſiæ in ſano verbo & ſancta vita ſeruare digneris,
Vt ſectas & omnia ſcandala tollere digneris,
Vt errantes & ſeductos reducere in viam veritatis digneris,
Vt Satanam ſub pedibus noſtris conterere digneris,
Vt operarios fideles in meſſem tuam mittere digneris,
Vt incrementum verbi & fructum ſpiritus cunctis audientibus donare digneris,
Vt lapſos erigere & ſtantes confortare digneris,

*pore, crucis & rerum aduerſarum.*

*In vltimo agone noſtro & nouiſsimo iudicio.*

*Confeſsio.*

*Petitur gubernatio Eccleſiæ.*

*Pro ſtatu Eccleſiaſtico.*

*Pro gubernatoribus Eccleſiæ orat.*

*Duo ipſis petuntur ſanitas doctrinæ. Integritas vitæ & morum.*

*Contra hæreſes, & ſcandala turbantia Eccleſiam.*

*Pro errantibus in viam reducendis.*

*Deſtruat opera diaboli autoris mendaciorum, errorum.*

*Vocet & mittat fideles miniſtros.*

*Sit verbum efficax & fructuoſum in auditoribus.*

*Pro infirmitate lapſis orat.*

*Pro ſtantibus confirmandis & retinendis.*

Vt puſil-

Libera nos Domine.

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Vt puſillanimes & tentatos conſolari & adiuuare digneris,

*Conſolatio afflictorum.*

Vt Regibus & Principibus cunctis pacem & concordiam dare digneris,

*PRO STATV POLITICO, ſit pax & concordia in regnis.*

Vt Cæſari noſtro perpetuam victoriam contra hoſtes tuos donare digneris,

*Orat pro Magiſtratu ſummo.*

*Eius munus eſt defendere Eccleſiam.*

Vt Principem noſtrum cum ſuis præſidibus dirigere & tueri digneris,

*Det noſtris Principibus eorumque proceribus ſapientiam & felicem gubernationem & ſucceſſum.*

Vt Magiſtratui & plebi noſtræ benedicere digneris,

*Pro gubernatoribus oppidorum, & tota plebe.*

Vt afflictos periclitantes reſpicere & ſaluare digneris,

*Reditur ad membra Eccleſiæ, indigentia præſidio Dei, vt ſunt, pro ſtatu œconomico. 1. Qui ſub cruce ſunt.*

Vt pregnantibus & lactentibus felicem partum & incrementum largiri digneris,

*2. Grauidæ & lactentes.*

*Felix partus.*

*Bene nutriantur & creſcant infantuli.*

Vt infantes & ægros fouere & cuſtodire digneris,

*3. Pueri.*

*4. Ægroti.*

Vt captiuos liberare digneris,

*5. Captiui.*

Vt pupillos & viduas pro-

*6. Pupilli. 7. Viduæ.*

tegere

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

tegere & prouidere digneris.

Vt cunctis hominibus miſereri digneris,

Vt hoſtibus, perſecutoribus & calumniatoribus noſtris ignoſcere & eos conuertere digneris,

Vt fruges terræ dare & conſeruare digneris,

Vt nos exaudire digneris,

Agne Dei qui tollis peccata mundi,

Agne Dei qui tollis peccata mundi,

Agne Dei qui tollis peccata mundi.

Chriſte,

Kyrie,

Chriſte,

Kyrie Eleiſon,

AMEN.

*γενικὸν miſereatur omnium, & liberet a malo.*

*Oratur pro hoſtibus eccleſiæ.*

*Detur eis venia, & conuertantur.*

*Petitur vbertas, perceptio & conſeruatio frugum, fructuumque ne victus deſit Eccleſiæ.*

*Repetitur cauſa exauditionis. Quia mactatus pro nobis ad ferenda & tollenda peccata noſtra.*

Pater noſter qui es in cœlis, &c.

Orationes

Te rogamus audi nos.

Te rogamus audi nos.

Miſerere nobis.
Miſerere nobis.
Dona nobis pacem.

Exaudi nos.
Eleiſon.
Eleiſon.

# ORATIONES QVAEDAM REPETVNTVR.

*DOMINE non ſecundum peccata noſtra facias nobis:*

Ex Pſal. 103. Commendatio Dei conuertitur in petitionem: ſis clemens.

*Neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.*

DEVS miſericors pater, qui contritorum non deſpicis gemitus, & mœrentium non ſpernis affectum: adeſto precibus noſtris quas in afflictionibus, quæ iugiter nos premunt coram te effundimus, eaſque clementer exaudi: vt hoc quod contra nos diabolicæ & humanæ fraudes moliuntur, ad nihilum redigatur, conſilioque tuæ bonitatis diſpergatur: vt nullis inſectationibus læſi in Eccleſia tua ſancta, tibi ſemper gratias agamus, Per Dominum noſtrum, &c.

*Vide eandem ſupra titulo contra aduerſitates.*

*Naturæ & bonitatis Dei eſt moueri gemitibus afflictorum.*

*A neceſſario, ſine intermiſsione affligimur.*

*Propoſitio. Redde irritum quod diaboli & mali homines in nos moliuntur.*

*A fine vtili, vt illæſi perpetuo tua beneficia celebremus.*

VEL,

*Adiuua nos Deus ſalutaris noſter:*

Ex Pſal. 79. Petitur auxilium & liberatio ex malis.

*Et*

*Et propter gloriam nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.*

*Ab honeſto, quia ſaluator noſter.*

*A cauſis finalibus, vt tuo nomini detur gloria.*

OMnipotens æterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes, vt dono gratiæ tuæ ab his omnibus pura fide tibi ſeruiatur, Per Dominum, &c.

*Precatio eſt pro vniuerſis ordinibus & ſtatibus in politia & Eccleſia.*

*Spiritus officium in membris Eccleſiæ.*

*Propoſitio. Adſis eis & iuua tua gratia.*

*A fine vtili, vt purificati fide tuo honori ſtudeant.*

VEL,

*Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo DOMINE:*

*Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.*

*Pſalm. 143. Petitio. Noli agere nobiſcum ſecundum tuam iuſticiam, ſcilicet, pro miſericordia tua.*

*Ratio, ex confeſſione iniuſticiæ omnium hominum.*

OREMVS. Omnipotens Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos propter humanam fragilitatem, ſcis non poſſe conſiſtere: da nobis ſalutem mentis & corpo-

*Supra, 4. Dominica poſt Epiphaniæ.*

*Expoſitio, neceſſitatis & infirmitatis humanæ confeſſio.*

*Propoſitio. Sana nos mente & corpore vulneratos.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0249-2

ris, vt ea quæ pro peccatis noſtris nos affligunt te adiuuante vincamus, Per Dominum, &c.

*Cauſa, vt pœnam quam meruimus ſuſtinere & ſuperare poßimus.*

VEL,

*Peccauimus* DOMINE *cum patribus noſtris: Iniuſte egimus & iniquitatem fecimus.*

*Pſal. 106. Plorantis & deprecantis Eccleſiæ confeßio: hæc eſt, omnes homines eſſe peccatores.*

DEVS qui deliquentes perire non pateris, donec conuertantur & viuant: debitam quæſumus peccatis noſtris ſuſpende vindictam: & præſta propitius ne diſſimulatio cumulet vltionem: ſed tua pro peccatis noſtris miſericordia ſemper abundet, Per Dominum, &c.

*Supra Dominica 2. Quadrageſimæ.*

*Petitio. Differ pœnam, vt agamus pœnitentiam.*

*Ratio. Quia non vis mortem peccatoris, Ezechiel. 33.*

*Noli etiam propter dilationem accumulare & acuere pœnam.*

VEL,

*Inuoca me in die tribulationis:*
*Et eruam te & tu honorificabis me.*

*Pſal. 50. Præceptum, promißio, gratiarumactio.*

PArce DOMINE, parce peccatis noſtris: & quamuis inceſſabiliter delinquentibus continua pœna de-

*Supra in titulo, pro peccatorum remißione.*

*Propoſitio deprecationis*

*Occupatio.*

na debeatur: præſta tamen quæſumus, vt quod ad perpetuum meremur exitium, tranſeat a nobis ad correctionis auxilium, Per Dominum, &c.

*Pœna merens damnationem, remiſſa proſit nobis ad vitæ emendationem.*

Numero 6.

Locutuſque eſt DOMINVS ad Moſen, dicens: Loquere Aaron & filiis eius: ſic benedicetis filiis Iſraël, & dicetis eis.

*Formula qua ſacerdotes Leuitici pronunciarunt populo Iſrael benedictionem diuinam.*

BENEDICAT TIBI DOMINVS, ET CVSTODIAT TE: OSTENDAT DOMINVS FACIEM SVAM TIBI, ET MISEREATVR TVI: CONVERTAT DOMINVS VVLTVM SVVM AD TE, ET DET TIBI PACEM.

*Myſterium & dona Trinitatis.*

*I. Benedictio. Deus pater conditor, conſeruet te, & det tibi neceſſaria ad commode viuendum.*

*II. Deus filius redemptor ſit tibi benignus, liberet ab æterna damnatione & morte, & te beet cœleſti benedictione.*

*III. Spiritus ſanctus Deus regat te, ſanctificet te, conſoletur te in cruce, & det pacem.*

Inuocabuntque nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis.

*Inuocantibus ipſum promittit benedictionem talem.*

FINIS ORATIONVM.

# INDEX CANTICORVM.

A

Ago tibi gratias Domine quod 20
Audite cœli quæ loquor. 7

C

Cantabo Domino quoniam. 1
Credo in vnum Deum Patrem, 52

D

Domine audiui auditionem. 27

E

Exultat cor meum in Domino. 17
Ego dixi in excidio dierum. 23

L

Laudandus Dominus Deus Iſraël. 35

M

Magnificat anima mea Dominum, 37

N

Nunc dimittis ſeruum tuum. 38

Q

Quicunque vult ſaluus eſſe. 43

T

Te Deum laudamus. 39

V

Venite exultemus Domino. 58



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0252-5

# INDEX HYMNORVM.

## A

A ſolis ortus cardine. 68
Agnoſcat omne ſeculum. 70
Audi benigne Conditor. 82
Ad cœnam agni prouidi. 102
Aeterno gratias Patri. 124
Aeterne gratias tibi. 131
Angelis hæc eſt ſacra lux. 142

## C

Conditor alme ſiderum 66
Corde natus ex parentis. 73
Chriſte qui lux es & dies. 83
Clarum decus ieiunii. 85
Chorus nouæ Hieruſalem. 100
Cœli Deus ſanctiſſime. 158

## D

Dies abſoluti prætereunt. 77
Dicimus grates tibi ſumme. 139
Deus creator omnium. 161

## E

Ex more docti myſtico. 79

## F

Feſtum nunc celebre 107
Fit porta Chriſti peruia. 122
Feſta Laurenti celebri per annum. 136

Gloria

G

Gloria laus & honor. 90

H

Herodes hoſtis impie. 75

I

Ieſu quadragenariæ 87
Ieſu Redemptor ſeculi. 104
Ieſu noſtra redemptio. 109
Iam lucis orto ſidere. 148
Inuentor rutili dux bone 152
Immenſe cœli conditor. 156

L

Lux aurea roſeo nitore. 129
Lucis creator optime. 155

M

Magnæ Deus potentiæ. 159

N

Nunc ſancte nobis Spiritus. 149

O

O lux beata Trinitas. 118

P

Pange lingua glorioſi. 92
Pange lingua, de corpore Chriſti. 119
Plaſmator hominis Deus. 160

Q

Quam læta perfert nuncia. 133

R

Rex Chriſte factor omnium. 97

Rector potens verax Deus. 150
Rerum Deus tenax vigor. 151

S

Salue feſta dies. 99
Sancti Spiritus adſit nobis. 113
Somno refectis artubus. [illegible]

T

Tu qui omnium ſeculorum ſanctos. 116
Te lucis ante terminum. 152
Telluris ingens conditor. 157

V

Veni Redemptor gentium. 60
Verbum ſupernum prodiens. 63
Vox clara ecce intonat. 65
Vexilla regis prodeunt. 88
Vidit anguis immolatam. 96
Vita Sanctorum. 105
Veni creator Spiritus. 111
Veni ſancte Spiritus. 116
Virgo Dei genitrix. 123
Vt queat feſta celebrare cantu. 125

LIPSIÆ

IN OFFICINA ER-
NESTI VOEGELINI
CONSTANTIENSIS,

ANNO

M. D. LXVIII.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0257-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0258-8

40 15/1/8
(22200609)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0259-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0260-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-112726-p0261-5